



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

Liber LXXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER LXXXV.

ALEXANDER IV. TUM URBANUS IV.
POSTEA CLEMENS IV. SUMMI
PONTIFICES.

IMPERIUM OCCID. VACAT.
BALDUINUS II. DEINDE MICHAEL VIII.
ORIENT. IMPP.

§. I.

*Recessus Arsenii Nicephori Patriarchæ
Constantinopolitani.*

Contemptus, in quem parvulus Impe- Sæcul. XIII.
rator Joannes Lascaris apud Michaë- A. C. 1260.
lem Palæologum rerum summa po-
timum venerat, graviter afflixit Arsenium

Aa 5

Con-

Sæcul. XIII.
A.C. 1260.

*Pachym l. 2.
c. 15.
Gregoras
lib. 4. c. 1. n. 3.*

Constantinopolitanum Patriarcham Græcum Nicææ residentem. Exprobrabat sibi, quod in re tanti ponderis tam negligenter egisset, ac ex turba evolvere se statuit. Itaque dissimulata ratione præcipua se ipsum despiciatui esse, atque apud Imperatorem Michaellem nihil posse coram Clero suo causatus, mox urbem Nicæam reliquit pedes, nec nisi paucos admittens comites. Cum in monasterio urbis mœnibus vicino substitisset, per noctem suam perrexit iter usque ad parvum Pascasii cœnobium, quod in secessum delegerat suum. Erat locus solitarius & tranquillus hinc mare, illinc fluvium habens, cujus ad ripam asceterium fuerat conditum. Ibi Arsenius vivebat quietissimus, omissa Ecclesiæ suæ cura solo cum Deo versans.

At Clerus ac Episcopi Nicææ tunc præsentibus improbata ejus agendi ratione per nuncios orabant, ut rediret, ne Imperator absens comperto ipsius recessu offenderetur. Præterea si quis molestitate affecit, inqueiebant, non relinquere sedem tuam, sed illum castigare, vel ad Imperatorem deferre, aut, si Imperator ipse fuit, eum admonere debebas, qua in re pro viribus te juvissimus. At sic abire nec abitus causam dicere videtur consilium temere susceptum. Per aliquod tempus nihil effectum est, Patriarcha sen-

sum

sum animi non explicante: at Imperatori Sæcul. XIII.
 Michaëli rem cognitam dolenti per tacita A. C. 1260.
 conscientiæ convitia verum Præfulis in-
 citamentum suboluit. Ergo, cum Epis-
 copi essent in concilium congregati, ex
 eorum sententia Nicetam Episcopum He-
 racleensem misit, qui eum revocaret, ad
 concilium adeundum, ad indicandas sui
 discessus causas, ad reddendam tam ex-
 traordinarii agendi modi rationem stimu-
 laret, ac declararet denique, aut resumen-
 dum ei Ecclesiæ suæ regimen, aut hujus
 abdicationem scripto edendam esse.

Nicetas cum sociis delatus ad Arse-
 nium, concilii epistolis ei traditis officium
 suum exposuit. Respondit autem, non
 amplius esse tempus medendi causæ sui
 recessus, sibi que deinceps in silentio ac
 quiete manendum. Postquam magno-
 pere sed frustra institerant, ut suum ape-
 rirer animum, obstinato secretum indica-
 bant imperium, ut dignitatis abdicatio-
 nem ab eo peterent. Ille se mox obtu-
 lit, & cum litteræ publicæ conficerentur,
 Episcopus Heracleensis, ut illam plausi-
 biliorem redderet, his inferendum propo-
 suit, Arsenium se indignum sentire. At
 is offensus commotabile, Annon sufficit
 tibi, ajebat, me verbo factoque cedere?
 cur insuper mala ratione premere me
 vis? Relinquo libens negotia, nec futuræ
 me res sollicitum habent.

Ita

Sæcul. XIII.
A.C. 1260.

v. *Possin. not.*
p. 446.

Sup. lib. 84.
§. 13.

Pachym.
c. 16.

Ita remissi subito tabulis publicis non absolutis ad Imperatorem & concilium properarunt. Cum retulissent, Patriarcham flecti haud posse, addebant, superesse modum tentandi, an in proposito perstaret suo; mittendos nempe, qui pastorale pedum & candelabrum (erant Episcopatus insignia) ab eo poscerent. Missis Arsenius ea capere licere, si vellent, dixit. Tum Imperator nihil expectandum amplius, seque ab eorum, quæ Patriarchæ accidere possent, culpa fatis liberum putavit; eo magis, quod Nicephorus Episcopus Ephesus ejus consecrationem haud fuisse canonicam affirmaret; nam Imperatorem Theodorum necessitate sic exigente se tam celeriter coronandum curasse, ut Arsenius continuo cunctos Ordines sacros acciperet, nullum temporis intervallum observans. Idcirco Imperator Michaël permisit, ut Episcopi, quod vellent, agerent, qui consultatione per dies plures habita nihil in Arsenio, quod carperent, invenerunt, præter impatientiam & abjectionem animi, qua sedem reliquerit suam.

Postea cum de cooptando successore diu deliberassent, ac præcipui reliquorum suffragia raperent, Nicephorum Ephesium omnes elegerunt. Commendabat eum sua pietas & virtus, doctrina congruens, proventa jam ætas, ardens studium

dium in Ecclesiam ejusque leges, quarum ^{Sæcul. XIII.} contemptum dolebat magnopere. ^{A. C. 1260.} Ante Manuelem a Concilio in Patriarcham electus fuerat regnante Joanne Vatacio. Qui ejus fervorem timens electioni se opposuit, dixitque: Dum Archidiaconus est, eum ferendo non sum: quid fiet, quando Patriarcha erit? Inauguratus est in Archiepiscopum Ephesinum: sed hærebat ei semper in medullis Imperatoris injuria. Quapropter nullis precibus erat opus, cum in Arsenii locum substitutus est, quem sibi ob divinam assignationem deberi credidit. Igitur renunciatus Patriarcha Epheso Nicæam, ubi habitaret, transiit, auri copiam afferens. Sed ejus electionem improbabant quidam Præsules; inter alios Andronicus Sardius, & Manuel Thesalonicensis: populus quoque Nicephorum averfans Arsenii reditum optabat. Nicephorus Imperatoris præsidio nixus, eum in Thraciam sequebatur, quo illum Constantinopolis recuperandæ spes duxerat.

c. 17.

§. II.

Concilium Arelatense. Joachimitæ.

Florentinus ab Episcopatu Ptolemaidis in Palæstina sito nuper ad Arelatensem Provinciæ Archiepiscopatum translatus,

Sæcul XIII. A.C. 1260. latus, an. 1260 aut sequente in concilio provinciali cum Suffraganeis suis habito septendecim canones edidit. In præfatione ait: Ætate nostra surrexerunt falsi Doctores, qui pro fundamento delirationum suarum certos ponunt ternarios, ut in suis Concordantiis, quas vocant, doctrinam perniciosam stabiliant; per simulatam honorandi Spiritus Sancti causam effectum redemptionis Filii Dei minuant, certoque temporis spatio constringant. Pater, inquit, operatus est a principio mundi usque ad filii adventum. Quare hic dicit in Evangelio: *Pater meus operatur usque modo, & ego operor.* Operatio filii duravit usque ad hoc tempus per mille ducentos sexaginta annos. Quibus finitis Spiritus S. dicet: Huc usque Filius operatus est post Patrem: ego deinceps etiam operabor. Eo applicant 1260 dies in Apocalypsi notatos, & mille annos, quibus elapsis Satan vinculis exsolvetur: quasi hujus in seculi cursu Spiritus S. mittendus esset gloriosius, quam cum in Apostolos se diffudit, per flammam & donum linguarum sensibilem se reddens.

Joan. 5. v. 17.

Apoc 11. v. 3.

Hi Joachimitæ in divina Triade fundant Ternarios commentitios, nempe tres hominum status seu ordines, qui secundum tempora sibi debeant succedere; primum esse conjugum, qui Patris æterni tem-

tempore in lege veteri regnasset; alterum ^{Sæcul. XIII.} Clericorum, qui per Filium tempore gra- ^{A. C. 1260.} tiæ regnaverit in statu medio, in quo nos sumus; tertium monachorum, qui tempore summæ gratiæ per Spiritum Sanctum sit regnaturus. Addunt ternarium doctrinæ, scilicet legem veterem, novamque, ac Evangelium æternum, quod Spiritui Sancto tribuunt. Dividunt etiam durantis mundi tempus in tres ætates, quarum primam adscribunt Patri, per quam regnaverit spiritus legis Mosaicæ; alteram Filio, in qua spiritus gratiæ regnasset; & quæ durasset 1260 annos; tertiam Spiritui Sancto, quam summæ gratiæ ac detectæ veritatis tempus appellant. Quo referunt illa Evangelii verba: *Cum venerit hic Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Alium ternarium dicunt consistere in modo vivendi: primo tempore homines duxisse vitam secundum carnem; altero mediam inter carnem ac spiritum; tertio mox secuturo usque ad finem mundi secundum spiritum victuros esse.

Sic Joachimitæ in nihilum redigunt redemptionem Christi, & Sacramenta finem habitura perhibent, dicendo, figuras omnes, & signa omnia cessatura esse, & veritatem omnium oculis conspicuam fore. Sancta Sedes, verum est, nobis præsentibus nuper rogatu nostro condemnavit

Sæcul. XIII.
A. C. 1260.

v. Sup. lib. 75
6. 41.

mnavit novam noxiamque doctrinam, quæ sub nomine Evangelii Spiritus Sancti pervulgabatur. Sed non satis examinata sunt hujus erroris fundamenta, nimirum *Concordantiæ*, cæterique Joachimi Abbatis libri, hætenus a censura liberi, utpote in angulis & cavernis apud quosdam Religiosos absconditi. Hanc præfationem sequitur primus canon hunc in modum.

Nos, qui hæc scripta cum nonnullis Majoribus nostris diligenter inspeximus & contulimus, haud immerito timemus, ne posteros pervertant, præsertim, cum in provinciis nostræ ditionis jam plurimos etiam litteratos phantasticis hujusmodi ludificationibus ita occupatos intellexerimus, ut permultos commentarios hæc de materia confectos descripserint, traderint aliis, & ad exterarum nationes miserint. Quapropter hæc scripta, prout ad manus nostras pervenerunt, provincialis Concilii nostri autoritate damnamus; atque, ne subditi eis utantur, aut ea recipiant, sub anathematis poena prohibemus.

§. III.

Concilii Arelatensis Canones.

6. 3. In reliquis canonibus noto sequentia.
Sacramentum Confirmationis jejuni
jeju-

jejunis tribuant exceptis infantibus lactentibus. Igitur tenellis infantibus adhuc dabatur, ut etiam hodie multis in Ecclesiis fieri solet. Major pars parœciarum hujus provinciæ pertinet ad monachorum, aliorumve Regularium Prioratus, e quibus aliqui Religiosi continenter illic residere consueverant, ut spiritualia simul ac temporalia administrarent, suisque Præpositis rationem redderent. At modo illorum præsentia redacta est ad tempus, quo fructus colligunt; & quibusdam in locis Sacerdotem nullum, in aliis solummodo mercenarium relinquunt. Quocirca volumus, ut his in parœciis adsint Parochi ex illis cœnobiis, aut vicarii perpetui congrua præditi portione e parœciæ proventibus assignata. Si Patroni non designent idoneos, loci Præsul constituat intra tempus a jure præscriptum. Octavo Pentecostes die officium SS. Triadis, ac festus dies S. Trophimi tanquam Apostoli per totam provinciam celebretur. Officium SS. Triadis nondum universa Ecclesia Latina receperat: & S. Trophimus primus Episcopus Arelatensis habebatur pro Apostolo, quia credebatur fuisse discipulus S. Pauli: qui error dein depositus est.

Monachi & Canonici Regulares nullam doctrinæ a discipulis, vel ab urbium Magistratibus mercedem accipiant.

Hist. Eccles. Tom. XXI.

Bb Tem-

Sæcul XIII.
A.C. 1260.

c. 5.

c. 6.

*Thomass.
fest. p. 392.
Tillem. to. 4.
p. 467. 708.*

c. 10.

Sæcul. XIII.
A.C. 1260.

c. 12.

c. *Tuarum.*
II. de priv.

c. 15.

c. 16.

c. 17.

Templarii & Hospitalarii non extendant privilegia sua curando, ut ii, quos agnoscunt familiares ac domesticos suos, certa gerant signa. Quibus insuper habitis Præfules eos corrigant secundum decretalem Innocentii tertii. Religiosi Dominicis ac solennioribus diebus populum ad officium divinum in templa sua non admittant; nec ibi e suggestu dicant iis honoris, quibus sacrum fit in parœcia. Et hæc inhibitio extenditur etiam illos ad Religiosos, quibus concionari licet, nempe ad Fratres Mendicantes. Res tota eo spectat, ut ne laici avertantur a doctrina suis in parœciis audienda. Episcopi expiationum Præfectos, seu Pœnitentarios suos verni jejunii tempore in urbes pagosque mittebant, ut a casibus reservatis absolverent illos, qui commode adire Episcopos ipsos haud possent. Hoc sub obtentu multi homines privati eludebant præceptum confessionis annuæ Parochis suis faciendæ, seque Pœnitentario confessos esse dicebant. Concilium prohibet, ne confessiones peccatorum non reservatorum audiant, nisi jubeat Episcopus, aut Parochus permittat.

Alia consuetudo priore pejor regnabat in Provincia non solum apud Clericos seculares, verum etiam inter Regulares ac monachos. Nempe quoties de quodam beneficio controversia erat orta, partes

partes litigantes omiſſis Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos ſolos ejus cognitio pertinebat, mox armati templa per vim & occupabant & conſervare ſibi conabantur. Unde naſcebantur cruentæ pugnæ, ac interdum homicidia: nam partibus cognati amique ſui auxilio veniebant. Concilium interdicit has vias facti. Sed hæ poſtea Judicibus profanis dedere anſam capiendi cognitionem juris poſſeſſorii beneficiorum.

Sæcul. XIII.
A.C. 1260.

§. IV.

Apparatus belli contra Tartaros.

Interim Papa Alexander continuis Tartarorum progreſſibus percuſus ad Principes Chriſtianos, Præſules, & Collegia ſcripſit, ut inirent rationes his barbaris reſiſtendi tam in Palæſtina, quam invaderent, quam in Hungaria, in Polonia, cæterisque regionibus, e quibus in reliquum orbem Chriſtianum poſſent excurrere; quantas quodque regnum vires illis opponere teneretur; quantæ pecuniæ penſiones hunc in finem Clero ac populo eſſent imponendæ. Denique præcepit, ut ad ſanctam Sedem Oratores mitterent concilii cauſa, quod hac de re habiturus eſſet infra Octavam S. Petri, hoc eſt, ineunte Julio anni 1261. S. Ludovicus

Rayn. 1262.
n. 29. 30.
M. Paris.
p. 368.
Stero. an.
1261.

Sæcul. XIII.
A. C. 1261.

Duchesne
to. 5. p. 371.
Nangis Chr.
an. 1260.
t. II. m. Conc.
p. 797.
M. Westm.
p. 378.

p. 379.
to. XI. conc.
p. 815.

cus acceptis Papæ hac de materia litteris, Dominica Passionis 10 Apr. 1261 Parisiis Episcoporum Procerumque regni sui conventum fecit, qui duplicari preces, supplicationes publicas fieri, puniri blasphemias, peccata, mensurarumque ac vestitium luxum coercere iussit. Prohibuit etiam in biennium ludicras pugnas, omnesque ludos exceptis arcus & balistæ exercitiis.

Eandem ob causam Papa in Angliam misit fratrem Gualterium Reigatensem; qui eo delatus cunctos regni Præsules moneri voluit, ut decimo quinto post Pascha die Londini coram ipso adessent. Gerebant morem Præsules; ac die lunæ ante festum S. Dunstani, hoc est, 16 Maji omnes ex meridiana Angliæ parte Londini comparuerunt præsentem Bonifacio Archiepiscopo Cantuariensi. Proximo die lunæ 23 Maji partis septentrionalis Præsules Bevereliam ad Archiepiscopum Eboracensem convenere. His duobus in conciliis novæ quædam sanctiones factæ sunt de statu Ecclesiarum Angliæ. Tum Præsules Romam miserunt Oratores, qui concilio ibi celebrando assisterent, & ad Papam referrent deliberationes in conciliis ipsorum initas, præsertim de reprimendis Tartaris. Hi Oratores communibus Cleri secularis regularisque sumptibus mittebantur. At Religiosi exempti (ex Episcoporum

coporum potestate) comperiebant, Oratores coram Episcopis jurasse, se nihil ipsorum commodis contrarium passuros in Romanam venire aulam, & staturos esse contra Regulares. Hi proin ad sumptus legationis quidquam contribuere recusarunt: ac Episcopi captarunt inde occasionem Papæ significandi, hoc dissidium obstare, ne certum ei responsum redderent. At Religiosi exempti post Oratores Episcoporum suos & ipsi nuncios miserunt, impedituros, nequid illi contra Regulares obtinerent.

Sæcul. XIII.
A.C. 1261.

§. V.

Concilium Lambethanum.

Propter illam convocationem generalem Archiepiscopus Cantuariensis provinciale concilium suum Lambethæ prope Londinum habuit triduo ante concilium, cui Nuncius adfuit, nempe 13 Maji. Statuta ibi sunt jejunia, preces ac supplicationes publicæ Tartarorum incurfus avertendi gratia, sed præterea factum ibidem est præscriptum ad conservandam Ecclesiæ libertatem contra molitiones Regis, ac Judicum profanorum. Illius summam habe! Siquis Episcopus aut Præsul inferior per litteras Regis vel alius viri potentis profanum ad tribunal vocetur, prohibemus, ne ibi respondeat de rebus

West. p. 380.

to. XI. conc.
p. 803.

p. 804. D.

Sæcul. XIII.
A. C. 1261.

mere ad sua munia & ad ecclesiasticum tribunal spectantibus; veluti de beneficiis denegatis, de pronunciatis censuris, de templis dedicatis, de collatis sacris Ordinibus, de capta cognitione decimarum, donorum, limitum parochialium, perjurii, sacrilegii, attentatæ libertatis ecclesiasticæ, vel actionum inter Clericos personalium, ut vocant. De omnibus his casibus cæterisque similibus nihil respondeant Præsules ad Judicem profanum accersiti! Sed ut debita Regi reverentia exhibeatur, Episcopi coram vel scripto ei exponant, se talia mandata non posse exequi, ac ex jurisdictione profana nihil sibi asserere. Si Administri Regis, aut Rex ipse molitiones suas prosequatur, Episcopi eorum terras in sua quisque dioecesi interdicto afficiant: quod in dioeceses integras extendant, in duritia illi sua si perstiterint. Ut ne fiat in posterum, quod hactenus sæpe factum, de sententia concilii vetamus stricte, nequis Clericus parœciam, annonam sacram, vel aliud beneficium autoritate sua occupet, aut se in ejus possessionem per potestatem profanam intrudi curet. Alioqui proscribatur; dein privetur reliquorum beneficiorum suorum fructibus; ac denique indignus, qui aliquod eorum habeat, declaretur. Moris erat, ut anathemate percussos Rex per litteras suas juberet

p. 807.

p. 808.

beret capi, ac Episcopi eos, donec fecissent satis, in carcere detinerent. At interdum Rex denegabat tales litteras, aut Pro-Comites cæterique Prætores invitis Episcopis captivos dimittebant. His in casibus Concilium Prætores vult proscribi, ac Regis possessiones interdicto affici. Inhibet etiam, ne Judices profani Clericos comprehendant, eis multas irrogent, eorum bona occupent. Vetat, ne impediantur ii, qui profugis in Ecclesias alimenta præberent. Condemnat audaciam, qua Optimates Prætores Regii Cathedralis, aut Religiosorum Ecclesias viduas custodiendi jure abutebantur harum fundos reddendo inutiles per causam percipiendi eorum fructus. Demum alia quædam jurisdictionis ecclesiasticæ puncta sancit. Memineris, hunc Archiepiscopum Cantuariensem prærogativas, quibus Ecclesia tunc fruebatur, ab ipso Rege tuendi tam studiosum fuisse Bonifacium Sabaudum, Reginæ avunculum, ad cellam sedem illam solo Regis favore sine ullo merito ecclesiastico evectum.

Sæcul.XIII.
A.C.1261.

p. 811.

Sup. lib. 82.
§. 4.

§. VI.

Alia Concilia.

In Germania quoque ut mandato Papæ satisfaceret, ac bellum in Tartaros adornaretur, plura habebantur concilia. Var-

B b 4 nerus

Sæcul. XIII.

A.C. 1261.

to. II. conc.

p. 816.

Siffrido

Serrar.

Mog. l. I.

c. 33.

Siffrid. 1260

1261. Ser-

rar. lib. 5.

p. 844.

t. II. p. 782.

Rub. lib. 6.

hist. p. 435.

nerus seu Garnerius Archiepiscopus Moguntinus celebravit suum, quod hujus provinciæ decimum septimum fuisse dicitur: ibique multa fiebant decreta augendo servitio divino, & corrigendo Clero idonea: inter alia, ut Sacerdos, qui publice concubinam domi suæ aleret, ipso facto teneretur abstinere a munere; atque si hoc in statu sacrum faceret, e dicecesi pelleretur. Archiepiscopus Varnerus anno priore Gerardo successerat. Ut sui electio rata haberetur, & pallii accipiendi gratia Romam profectum Papa Alexander IV. consecravit, eodemque anno 1261 tres alios Germaniæ Archiepiscopos, Henricum Trevirenses, Hildeboldum Bremenses, & Conradum Magdeburgenses.

Ravennæ Archiepiscopus Philippus Fontius pariter ob subsidium contra Tartaros concilium provinciale Papa jubente habuit. Hoc in concilio Clerus de Fratibus Prædicatoribus Minoribusque conquerebatur, quod e sacro suggestu pro decimis nihil dicerent; quod confessiones Parochis faciendas audirent; quod his obnoxios humarent; quod eorum damno divini verbi præconium sibi attribuerent. Sic impedimur, addebant Clerici, ne pecuniarium contra Tartaros subsidium colligamus. Tum Opizo de S. Vitali Parmensis Episcopus erigens se,
Mior

Miror magnopere, inquiebat, hos Religio-
 fos accusari de re, quæ magnas eis lau-
 des deberet parere. Deus est, qui no-
 stram miseratus indigentiam suscitavit
 hos Ordines tam numerosos, ac ex do-
 ctissimis piissimisque ætatis nostræ viris
 compositos, qui non congerendis decimis,
 non commodis intenti suis, ommissa victus
 cura, nationes omnium maxime barba-
 ras Christo adjunctum eunt. Hic ser-
 mo Episcopum Opizonem multis invisum
 reddidit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1261.

§. VII.

*Alexander IV. moritur. Urbanus IV.
 Papa.*

Congruenter omnibus his conciliis Chri-
 stiani Principes Præfulesque ad fan-
 ctam Sedem Legatos & Oratores mise-
 runt. At plerique non advenere nisi post
 obitum Papæ Alexandri. Quadriennio
 non fuerat Romæ: ubi manere non au-
 sus, mense Majo an. 1257 Viterbium pe-
 tiit, ac quindecim ibi menses usque ad
 ineuntem Septembrem anni sequentis
 hæsit. Tum Anagniam se contulit, ubi
 21 Octobris an. 1260 etiamnum erat. De-
 nique Viterbium reversus, die S. Urbani
 25 Maji an. 1261 ibi mortem oppetiit post
 sex annos ac quinque menses Pontifica-
 tus. In cathedrali S. Laurentii templo

Rayn. 1262.
 n. 31.

Sup. lib. 84.

S. 45.

Rayn. 1258.

n. 6.

Id. 1260.

n. 21.

Stero. 1261.

Duchesne

Viter- p. 371.

B b 5

Sæcul XIII. Viterbii terræ mandatus est: sanctaque
 A.C. 1261. Sedes tribus mensibus & quatuor diebus
 vacavit. Inquisitoribus inter alia præ-
 cepit, ut hæreticorum bona publicata
Papebr.
conat.
Rayn. 1260. venderent, ac pretium Ecclesiæ Romanæ
 n. 12. usibus reservarent.

Viterbii octo tantum Cardinales erant,
 duo Episcopi, Tusculanus Odo Castro-
 Rodolphinus, ac Prænestinus Stephanus
 n. 7. natione Hungarus; duo Presbyteri Joannes
Sup. lib. 84. a S. Laurentio Anglus & Hugo a
 S. Charo tit. S. Sabinæ; quatuor Diaconi
 S. 66. omnes Itali, Richardus Annibaldus tit.
 S. Angeli, Octavianus S. Mariæ *in via la-*
ta, Joannes Cajetanus S. Nicolai, & Ot-
 tobonus S. Adriani. Hi octo Cardinales
 inter se adeo discrepabant, ut de nullo ex
 suo corpore convenirent. Sed tandem

Anon. de
reb. Sicul.
p. 856.

Papam cooptarunt Jacobum Pantaleo-
 nem Patriarcham Hierosolymitanum, qui
 tunc forte Viterbii aderat, Ecclesiæ suæ
 negotium curaturus. Scilicet Papa Ale-
 xander Hospitalariis Bethaniense S. La-
 zari cœnobium Ordinis S. Benedicti de-
 derat: qua in re læsam non parum Eccle-
 siam suam Patriarcha perhibuit, & Papa
Papebr. factus donationem rescidit. Die S. Joan-
 nis Baptistæ morti sacra, 29 Augusti ele-
 ctus, & quarta Septembris Dominica co-
 ronatus, Urbanus IV. dici voluit, ac trien-
 nio sedit. Trecis in Campania, ut me-
 moravi, in lucem editus, Leodiensis Ar-
 chidia-

Sup. lib. 83.
 S. 5.
Sup. lib. 84.
 S. 12.

chidiaconus, dein Episcopus Virodunen- Sæcul. XIII.
 sis fuerat post plures legationes digne o- A.C. 1261.
 bitas ad septem Triones. Vix folium no-
 vum conscenderat, cum id Episcopis scri- ap. Rayn.
 psit, seque in preces commendavit, ut do- n. 10.
 cet epistola ad Archiepiscopum Remen- n. 18. 19. &c.
 sem mense Septembri an. 1261 data. Sin-
 gulariter ad Regem S. Ludovicum, cui
 obnoxius forte nascendi fuerat, & ad Phi-
 lippum natu majorem ejus filium scripsit,
 noxarumque veniam eis fecit.

§. VIII.

*Otto e prosapia Pro-Comitum Ar-
 chiepiscopus Mediolanensis.*

Sedes Mediolanensis quatuor vacabat
 annos, postquam Leo Peregrus 14 Dec.
 1257 decesserat. Duo illam sibi vendi- Ughel. to. 4.
 cabant, Raymundus ex Turriorum fami- p. 282.
 lia Mediolani potentissima, & Franciscus Sigon. reg.
 Settalla, plus meriti sed minus existima- Ital. lib. 20.
 tionis habens. Papa Urbanus utriusque irit.
 electionem rejiciens Settalla ultro ceden- Cor. p. 272.
 te Raymundum creavit Episcopum 273.
 Comensem. Ambobus prætulit Ottonem
 Collegii Desiensis Præpositum ex Pro-
 Comitum familia, quæ cum Turriana de
 majore nominis celebritate certabat. Huic
 viro animoso ac gerendis rebus idoneo
 Papa Mediolanensem Archiepiscopatum
 con-

Sæcul. XIII.
A.C. 1261.

p. 276.

contulit rogatu Cardinalis Octaviani Ubaldini, cui Mediolanum transeunti Martinus Turrius Raymundi frater insultaverat. Qui quem Papa elegisset, edoctus, cum apud Mediolanenses tunc omnia posset, non modo Archiepiscopatus, sed & omnium Ottonis fautorum reditus occupari iussit: unde factum, ut Papa urbem interdicto percelleret. Anno 1263 Otto Papæ ac Mediolanensium adversis a partibus pulforum præsidio tectus Roma Mediolanum versus processit ac die Paschatis 1 Aprilis Aronæ arcem intravit. Sed longiorem progressum tum quidem non fecit, & quatuordecim infuper annos Mediolano exclusus mansit.

§. IX.

Patriarchæ Nicephori obitus.

Pachym. l. 2.
c. 22.

Interim Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha Græcus Nymphæam propere venerat cum Imperatore Michaele Palæologo, qui Constantinopolim capere frustra conatus in Anatoliam redierat. Nicephorus Andronicum Sardibus & Manuelem Theffalonica pelli iusserat, ipsius translationem improbantem, duosque alios Episcopos in eorum locum substituit Sardibus Jacobum Chalazam, Theffalonicæ Joannicum Cydonem Abbatem monasterii Sofandrici. Mox deinde

de morbo correptus ad extrema cum venisset, erat, qui quæreret, an non veste monastica vellet indui. At ne mentionem quidem rei tulit, ut Patriarcha mori cupiens. Cadaver Ephesum delatum in templo metropolitano sepultum fuit. Erat vir severus ac intrepidus præsertim contra Principes, a puero virtutis cultor. Sed populus eum judicabat intrusum, non tam, quod Epheso Constantinopolim esset translatus, quam quod vivente Patriarcha legitimo transisset. Ultimam dignitatem unico anno tenuit.

Sæcul.XIII.
A. C. 1251.

Gregor. l. 4.
c. 1. G. A.
crop. n. 84.

§. X.

Græci Constantinopolim recuperant.

Imperator Michael Cæsarem Alexium Strategopulum cum quibusdam copiis contra Michaellem Epiri Despotam misit; & quia Alexius prope Constantinopolim iter faciendum erat, eum minas urbi admove-re, Latinisque periculi metum inferre aliquem, nihil tamen moliri jussit. Alexius cum Ducibus certorum hominum voluntariam militiam, ut Francos pariter ac Græcos expilarent, obeuntium collocutus ex illis comperit, Francos in urbe rerum omnium penuria pressos numero modicam, quam haberent, manum misisse oppugnatum Daphnusi- am ad Pontum Euxinum in Thracia sitam, mil-

Du Cange
hist. C. P. l. 5.
n. 22. Pa-
chym. l. 2.
c. 26.
Greg. l. 4.
c. 2. Acro-
pol. n. 85.

le

Sæcul. XIII.
A.C. 1261.

le stadiis seu quinquaginta leucis, quas vocant, Constantinopoli distantem. Voluntarii, qui erant Græci, Cæsari Alexio monstrantes, urbem hoc in statu facile capi posse, suas copias in eam immittendas & operam suam offerebant, navabantque tam egregiam, ut urbe noctu potiretur 25. Jul. anno mundi 6769. Christi 1261. Imperator Balduinus in lembo aufugere coactus insulam Eubœam primum, deinde Italiam petiit. Justinianus Patriarcha Latinus itidem sibi fuga consuluit. Ita Franci Constantinopolim amisere quinquaginta septem annis possessam. Imperator Michael Palæologus accepto in Asia nuncio tam inopinato, mox in Europam profectus Constantinopolim venit. Quam 14. Augusti pedibus ac sine insignibus imperatoriis intrans, Virginis, quam Ducem vocabant, imaginem a S. Luca, ut ajebant, pictam sibi præferri voluit, ac monasterio Studiano reliquit. Tum conscenso equo ad S. Sophiæ templum delatus ibi Deo gratias egit. Inde se contulit in grande palatium, ubi sedem suam collocavit.

Pach. c. 27.

Monach.
Pad. p. 615.

Sup. lib. 76.
§. 2.

Acrop. n. 88.

Pach. c. 31.

§. XI.

Arsenius revocatur.

Sæcul. XIII.

A. C. 1261.

Inter primas ejus curas fuit sedi Patriarchali per Nicephori decessum viduæ providere. Hoc fine convocavit Episcopos, quorum aliqui revocandum censebant Arsenium, utpote canonice non exauthoratum; alii abdicationi ejus, ac obstinatæ reditus recusationi insistebant. Imperator aliquamdiu pendebat animi, hinc, ne Arsenius ipsius propositis obsteret, illinc offensionem metuens, quem electio novi Patriarchæ faceret. Denique revocare Arsenium statuit, qui pariter hærebat medius in priora incommoda recidendi metum inter, ac desiderium videndi Constantinopolim, sedemque suam occupandi. *l. 3. c. 1. 2.*

c. 34.

Greg. p. 51.

Igitur Imperatoris atque Concilii rogatu venit. Ille præterita excusans magnis affectum honoribus comitante numero Procerum omnique populo ad S. Sophiæ duxit, manuque prehensio, *En Acropol. p. 103.* sedem tuam Domine! inquiebat: cape illam modo, postquam ea tamdiu caruisti! Misit eundem in possessionem proventuum Patriarchatus: & S. Sophiæ templum in statum pristinum restituit, altare, sanctuarium, suggestus, siparia, vasaque sacra suis impensis reparans:

nam

Sæcul. XIII.
A. C. 1261.
nam Latini hoc templum suis usibus aptando prioribus ornamentis privaverant. Demum prospexit alendis cantoribus sacrisque ministris, ac rebus omnibus, quæ ad decorem divini servitii conducebant. Patriarcha illi gratiam tantam habuit, ut faciliorem se præberet ad eum rursus coronandum. Hic enim Princeps id cupiebat, recuperata Constantinopoli suum regnum, ipsumque Imperium renovatum putans.

Pach. l. 3.
c. 10. Greg.
l. 4. c. 4.

Hac in ceremonia non memorabatur adolescens Imperator Joannes Lascaris. Contra Michael Palæologus paulo post executioni dedit, quod in eum diu meditabatur, insuper habitis juramentis, quæ dixerat, cum in solium eveheretur. Ipso Christi natali die illum, ut regnando imparem redderet, excæcavit, ferrum candens prope oculos admovendo. Tum arci ad maris littus incluso victum sufficientem dedit. Erat vero misellus Princeps septemdecim circiter annos natus. Sic Michael imperare solus perrexit.

§. XII.

Cardinales novi.

Mon. Pad.
p. 614.

Cardinales, quia Alexander IV. nullos creaverat, in parvum redacti erant numerum. Idcirco Urbanus IV. quatuordecim renunciavit, septem trimestri

Ec-

ecclesiastico sub finem Decembris an. 1261; ac septem sacro trimestri Pentecostes. Hi Cardinales erant sequentes. Radulphus Grosparmius e nobili Normanniæ profapia, prius Silvanecti ad S. Frambaldum thesauri custos, regionumque S. Ludovici sigillorum præfectus, dein Episcopus Ebroicensis 19 Oct. 1259 consecratus, ac denique Cardinalis Episcopus Albanensis. Secundus Guido Crassus, alias Fulcodius, seu Fulgesius ex nomine sui parentis magna virtute viri, qui obiit Carthusianus. Filius Fani S. Ægidii in Occitania natus, Causidicus primum fuerat & Juris interpretes celeberrimus a S. Ludovico intimum admissus in consilium. Mortua uxore sua, ex qua plures susceperat liberos, ecclesiasticum amplexus statum, Ponii in Velaunis Archidiaconus, tum ejusdem Ecclesiæ Episcopus an. 1257, & Archiepiscopus Narbonensis an. 1259 evaserat. Papa Urbanus eum dixit Cardinalem Episcopum Sabinensem. Sed in animum inducere nequibat Ecclesiam suam derelinquere: ac Rex S. Ludovicus eum pariter ac Episcopum Ebroicensem ante spatium unius anni e Francia dimittere volebat. Vehementibus Papæ monitis erat opus, ut in Romanam Curiam se conferrent. Tertius fuit Simon Silicimontanus, Canonicus Patavinus, quem nobilitas, oris

Hist. Ecclesiast. Tom. XXI. C c spe

Sæcul. XIII.

A.C. 1261.

*Rayn. 1261.**n. 23. 1262.**n. 52.**Aubery hist.**Card. to. 1.**p. 286. Esc.**Gall. Chr.**to. 2 fol. 574.**Ibid. to. 1.**p. 385.**to. 3. p. 917.**Conc. pr.**Narb. app.**p. 161. 168.**Rayn. 1262.**n. 34.*

Sæcl. XIII.
Ac. C. 1262.

species, doctrina, moresque sui commendabant, ut Cardinalis Presbyter tit. S. Silvestri fieret. Quartus erat Simon Briensis, Turonibus ad S. Martinum Canonicus ac thesauri præfectus, modo Cardinalis Presbyter tit. S. Cæciliæ. Tres, qui sequuntur, fuere Cardinales Diaconi, scilicet Godefridus Aletrinus tit. S. Georgii, Jacobus Savellius Romanus tit. S. Mariæ in Cosmedino, Hubertus Lombardus tit. S. Eustachii. Hi erant septem Cardinales mense Decembri 1261. promoti.

Gall. Chr.

to 1. p. 279.

Eandem ad dignitatem sabbato Pentecostes ultimo Maji an 1262 evecti sunt I. Henricus Secusinus, qui primum Archidiaconus Embrodunensis, tum Episcopus Segesteronensis, postea Archiepiscopus Embrodunensis sub annum 1250. ac denique Cardinalis Episcopus Ostiensis fuit. Erat legum civilium & juris Canonici interpret clarissimus, & jussu Alexandri quarti utriusque juris summam seu compendium confecit in scholis celebre, quibus notus est sub nomine Cardinalis Ostiensis. II. Ancherius Pantaleon Trecis in Campania natus & Papæ Urbani nepos, Archidiaconus Laudunensis, deinde Cardinalis Presbyter tit. S. Praxedis. III. Guido Abbas Cisterciensis, ortu Burgundus, qui ob quædam Ordinis negotia Romæ versans factus est Cardina-

Sæcul. XIII. fredri filiam statuere volebat. Tum vero
A.C. 1262 Rex sanctus declaravit, in affinem sibi
 non placere, quisquis tam arctis vinculis adstrictus esset Principi proscrip-
 to & aperto Ecclesiæ hosti. Quod edoctus Pa-
Ap. Rayn. pa, S. Ludovico epistolam scripsit lau-
1262. n. 17. dum & gratiarum plenam. Sed neutrum
Invent. des matrimonium omisum est. S. Ludovi-
ch. to. 5. cus contentus erat tabulis publicis fide
Arrag. I. p. dignis, per quas Arragoniæ Rex decla-
144. ravit, se filiæ Manfredi filium jungendo
 suum nihil in se velle recipere contra
 Ecclesiæ Romanæ rationes agendum.
 Atque ista declaratio complurium Epi-
 scoporum ac Procerum testimoniis con-
 firmata est.

Indic. Ar- Idcirco die Pentecostes 28 Maji an.
rag. p. 99. 1262 Philippus Franciæ Princeps Cla-
Chr. Trivet. romonti cum Isabella Arragonica, & 15
to. 8. Spicil. Junii Petrus Arragoniæ Princeps cum
 Constantia Sicula Cesserone nuptias fe-
 cit, quo Rex Jacobus hoc sine venerat,
 Papæ dissuasionibus præferens Siciliae
 spem minime vanam, ut deinde videbi-
 mus.

Duchesne p. Papa Urbanus hoc regnum S. Ludo-
371. vico pro uno filiorum ipsius obtulit. At
Id. p. 869. Rex sanctus metuebat, ne injuriam vel
 Conradino faceret, qui legitimus ejus
 hæres videretur, vel Edmundo Angliæ
 Principi, quem priores Pontifices Maxi-
 mi corona illa donaverint. Qua de re
 Papa

dinalis Presbyter tit. S. Laurentii in Lucina. IV. Guilielmus Brajensis ad Sequanam Archidiaconus Remensis, & Laudunensis Decanus, Cardinalis Presbyter S. Marci. V. Hannibal Annibaldus de Molaria nobilis Romanus Ord. Prædicatorum: fuit Parisiis Professor Theologiæ, postea Romæ Magister Sacri Palatii, demum Cardinalis Presbyter tit. duodecim Apostolorum. VI. Jordanus Contius Terracinensis, Hypodiaconus, ac Ecclesiæ Romanæ Pro-Cancellarius, dein Cardinalis Diaconus tit. SS. Cosmæ ac Damiani. VII. Matthæus de Ursinis Romanus Cardinalis Diaconus S. Mariæ in porticu. Ecce quatuordecim Cardinales ab Urbano IV. creatos, quorum duo evasere Pontifices Maximi, Guido Crassus, & Simon Briensis.

§. XIII.

Papæ epistola contra Manfredum.

Papa Urbanus non magis, quam antecessores ejus, favebat Manfredi in Sicilia novas identidem vires sumentis. Qui potenti nisurus fœdere, filiam suam Constantiam in conjugem obtulit Petro nato majori filio Jacobi Arragoniæ Regis, cujus opera Romanam sibi Ecclesiam reconciliari cupiit, conquerens de duritia, qua sibi pax sæpe petita semper denegata.

Sæcul. XIII.

A.C. 1262.

Rayn. 1262.

n. 9.

Cc 2

nega-

Sæcul. XIII.
A.C. 1262.

Sup. lib. 83.
S. 53.

negata esset. Annuit Jacobus, & ad Papam misit Religiosum quendam, per quem spondit, se ipsum rem curaturum esse. Papa ei respondit in hanc sententiam. Miror te fraudibus Manfredi captum, & dandam tibi saltem levem aliquam ejus criminum notitiam censeo. Post fratris sui Conradi obitum Papæ Innocentio jurata fide pacatum in Siciliam aditum permisit, eum regni verum agnoscens Dominum. Papa Innocentius amanter receptum ut filium per meram liberalitatem principatu Tarentino nihil ad hunc juris habentem, & magnificis insuper muneribus ornavit. Manfredus tamen mox dein vix non in Papæ oculis crudeliter necandum curavit Burellum Comitem Anglonium, fidelem Ecclesiæ servum: & in hanc rebellis isto cum Nuceriæ Saracenis foedere regnum occupavit per speciem tutelæ nepoti suo Conradi filio præstandæ. Postea hunc infantem mortuum commentus regnum sibi tanquam hæreditatem suam attribuit: & insuper habito sui ortus vitio in dedecus regiæ dignitatis eorumque omnium, qui coronam gerunt, Regis titulum sibi adscripsit, non exhorrens tantam in suum nepotem ac pupillum perfidiam. Tum Ecclesias regni vacuas sibi vindicavit, ac etiamnum vindicat: nondum vi-
duas expilat, & simul earum Præfules,
quo-

quorum aliquos exactionibus premit, alios in carceribus atrociter tenet. Divina officia coram se peragi jubet tantum per contemptum Ecclesiæ clavium & anathematum ab antecessore nostro in se intortorum. Quibusdam regni Baronibus Papæ ac Ecclesiæ partes se consentiente secutis crudeliter vitam abstulit; & multos Optimates aliosque in exilium egit, nec ætati nec sexui parcens.

Ecclesia apertis eum brachiis excepisset, si bona rediisset fide: & nos Legatos ejus, ut Papa Alexander fecerat, audivimus. Sed quæ dicebant, simulata erant omnia. Quocirca non credimus tuæ dignitatis esse tale negotium suscipere, multo minus tam probrosam affinitatem inire, & tam stricte conjungi cum inimico Ecclesiæ, tam fortiter ac prospere semper a te defensæ. Dabat 26 Apr. 1262.

Etiam Rex S. Ludovicus Philippi natu majoris filii sui cum Isabella ejusdem Arragoniæ Regis filia conjugium tractaverat, quod utraque pars probabat anno 1258, eodem tempore, quo hi duo Reges de mutuis juribus ac postulatis suis transigebant. Immo S. Ludovicus hoc anno 1262 usque Claromontum Arverniæ processerat hujus connubii complendi causa, cum comperit illud, quod Arragoniæ Rex inter filium suum & Man-

Sæcul. XIII.
A.C. 1262.

Du Tillet
p. 169.
Sup. lib. 84.
§. 53.

Sæcul. XIII. fredri filiam statuere volebat. Tum vero
A.C. 1262 Rex sanctus declaravit, in affinem sibi
 non placere, quisquis tam arctis vinculis adstrictus esset Principi proscripto & aperto Ecclesiæ hosti. Quod edoctus Papa, S. Ludovico epistolam scripsit laudum & gratiarum plenam. Sed neutrum matrimonium omissum est. S. Ludovicus contentus erat tabulis publicis fide dignis, per quas Arragoniæ Rex declaravit, se filiae Manfredi filium jungendo suum nihil in se velle recipere contra Ecclesiæ Romanæ rationes agendum. Atque ista declaratio complurium Episcoporum ac Procerum testimoniis confirmata est.

Indic. Arrag. p. 99. Idcirco die Pentecostes 28 Maji an.
Chr. Trivet. to. 8. Spicil. 1262 Philippus Franciæ Princeps Clomonti cum Isabella Arragonica, & 15 Junii Petrus Arragoniæ Princeps cum Constantia Sicula Cesserone nuptias fecit, quo Rex Jacobus hoc sine venerat, Papæ dissuasionibus præferens Siciliae spem minime vanam, ut deinde videbimus.

Duchesne p. 371. Papa Urbanus hoc regnum S. Ludovico pro uno filiorum ipsius obtulit. At
Id. p. 369. Rex sanctus metuebat, ne injuriam vel Conradino faceret, qui legitimus ejus hæres videretur, vel Edmundo Angliæ Principi, quem priores Pontifices Maximi corona illa donaverint. Qua de re
 Papa

Papa Urbanus Alberto Parmensi Notario Nuncioque suo, cui hoc negotium commiserat, scribens integerrimam S. Ludovici mentem summopere laudat; sed illi præcipit, ut hunc ei scrupulum eximat, dicatque, Apostolicæ Sedis jus satis examinatum fuisse a Papa & Cardinalibus, qui pariter æquitatem colant, ab inferenda cuiquam injuria alienissimi. Re-

Sæc. XIII.
A.C. 1262.

Rayn. 1262.
n. 21.

Rayn. 2253.
n. 2.

§. XIV.
Epistola contra Michaelē Palæologum.

Sanctus Ludovicus Alberto Nuncio indicaverat, se magno teneri desiderio subveniendi Imperio Constantinopolitano, scilicet Imperatori Balduino Latinisque illud recipere cogitantibus. Idcirco Pa-

Rayn. 1262.
n. 39.

pa Urbanus Regi epistolam scripsit in hanc sententiam: Christianos inter Principes solus Ecclesiæ mala sincere doles, solus eam semper juvare cupis. Quapropter in summo mœrore, quem Constantinopolis jactura nobis peperit, innox oculis in te conjectis, Episcopum Aginensem ad te

1C c 4

misi-

Sæcul. XIII
 A.C. 1262.
 Gall. Chr.
 to. 2. p. 71.
 Bibl. Clun.
 p. 1665.

misimus, qui tecum & cum regni tui Præfulibus hoc negotium tractaret. Hic Episcopus erat Guibelmus Pontœsianus, antea Præfectus Charitæi, deinde Abbas Cluniacensis, anno sequente 1263. 17. Nov. mortuus, & Parisiis ad S. Martinum de Campis sepultus. Papa ad S. Ludovicum ita pergit: Sed Imperatoris Balduini, Ducis Rainerii Zenonis ac Republicæ Venetæ Legatorum, aliorumque complurium Romanicæ Latinorum adventus nostrum nuper dolorem acerbissime renovavit, cum hunc Imperatorem a Græcis schismaticis in æternum Latinorum dedecus ita pulsum cernemus.

Itaque huic Imperio, & quod consequitur, Terræ sanctæ, cujus emolumentum cum illo conjunctum est, festinas comparare suppetias cupimus, eo magis, quia Latini Optimates Achajæ, Moreæ, vicinarumque insularum etiamnum Domini, numerosas copias terra, & Veneti magnificam triremium classem mari possessoribus iniquis fortiter opponere parati sunt, transitum quoque cunctis auxilio venturis gratuito offerentes. Quare Andream Spoletanum Archidiaconum Paphium sacelli nostri Præfectum, cui omnia, quæ tibi viva voce dixerit, credere possis, ad te mittimus, orantes, ut præsidium tuum in Romanicæ Imperium exten-

extendas, ac Regni tui Præsules ad lar- Sæcul. XIII.
 gum subsidium contribuendum stimules, A. C. 1262.
 quod per alias litteras eis injunximus,
 prout id Aginensis Episcopus ab ipsis po-
 stulaverit. Dabat 5 Junii an. 1262.

Sub idem tempus Papa Fratrum Mi- ap. Rayn. n.
 norum per Franciam Ministro Provincia- 34. Vading.
 li præcepit, ut per Ordinis sui Fratres 1261. n. 17.
 classicum toto in regno contra Michael-
 em Palæologum cani, sacrisque militi-
 bus eandem noxarum veniam, quæ ter-
 ram sanctam petentibus concessa esset,
 ac iis, qui ad conciones de bello sacro
 venirent, quadraginta vel centum die-
 rum indulgentiam promitti curaret.

§. XV.

Arsenius Palæologum proscribit.

Interim Palæologo Constantinopoli quie-
 te frui non licuit. Patriarcha Arse- Pachym.
 nius, ubi juvenem Imperatorem Joan- III. c. 14.
 nem ab eo excæcatum esse audiit, præ
 dolore impos animi ascendere per omnem
 domum suam ac descendere, ingentes
 edere clamores, suum pectus percutere,
 cælum terramque appellare testes, totam
 naturam in opem vocare. Dein congre-
 gatis, qui tum in urbe aderant, Præsuli-
 bus exposuit, Palæologum juramenta
 sua violantem ipsi ac Deo illulisse, quæ-
 sitque, quid agendum esset, ut ne per-
 fidus

Sæcul. XIII. A.C. 1262. fidus impune suo e scelere fructum caperet. Non possumus connivere, addebat, ne nostro silentio id approbare videamur, ut omittam rationes alias. Præfules se horrere factum, & Patriarchæ arbitrium per omnia sequi paratos significabant. Qui omni authoritate sua contra Imperatorem Michaellem uti statuit, ac reliqui ei obsistere non audebant, quanquam summopere timebant ea, quæ hinc oriri posse videbant. Igitur in Palæologum anathema contoruit Arsenius, tam grave illi flagitium exprobrans: tantum, ut preces pro eo Clerus caneret, permisit, & ipse in liturgia eum nominare perrexit, ne ad ultimas illum angustias adigeret, majoraque acciret mala.

Pachym. c.
19.

Palæologus censuram patienter ferens se submitit saltem in speciem; ac commissis querimoniis se solummodo, quantum potuit, excusavit, si Patriarchæ justæ indignationi aliquamdiu cederet, ac postea se facti poenitentia teneri ostenderet, brevi se absolutum iri sperans. Igitur per plures dies modestis vestibus poenitentis instar indutus, & interea conscientiae suæ stimulos sentiens Patriarcham per viros probos eique amicos efflicitim precabatur, ut criminis poenitentia ductum absolveret, & quam vellet, satisfactionem ipsi imponeret, cum factum infie-

infectum fieri nequiret. Internuncii ad Patriarcham hæc Imperatoris verba retulere, addentes sua, ut Principem officiis demererentur. Sed Patriarcha eos non audiens, In sinum meum, inquit, recepi columbam, quæ in serpentem versa mortiferum mihi vulnus intulit. Imperator, si cum Patriarcha ipse loqueretur, rem melius successuram ratus, eum sæpius adiit, oravitque, ut conveniens ipsius malo remedium admo-
 veret. Ille verbis generalibus eum agere, quod agendum esset, iussit, peccata magnam petere compensationem asserens. Imperator, cum institisset, ut is explicaret sese, Quid igitur? ajebat: Vis, ut imperium abdicem? Simul gladium a balteo sejunctum Præfuli offerebat, ejus animum exploraturus. At mox captanti ferrum subduxit, eumque objurgans, Ergo vitam, ajebat, meam appetis? Nihilominus detecto capite ad ejus pedes abjecit in complurium præsentia. Patriarcha constanter abnuit, & cum Imperator urgere pergeret, in cubiculum se suum recipiens, ei fores præclusit. Per biennium Imperator multis eum precibus iteratis flectere nunquam potuit.

Sæcul. XIII.
 A.C. 1262.

Sæcul. XIII.
A.C. 1262.

§. XVI.

Palæologus Papæ scribit.

Pact. c. 18.

*ap. Rayn.
1263. n. 23.*

Interim Palæologus bene gnarus a Latinis non diu sibi pacem fore, sæpe ad Papam Legatos misit & munera tum ipsi, tum quibusdam Cardinalibus, aliisque apud eum gratia florentibus deferenda. Legationem aliquam obire Maximus Alufardus monachus, Andronicus Muzalonius, & Michael Abalantus: & in epistola eis tradita Palæologus Urbanum vocabat veteris Romæ Papam, solii Apostolici successorem, ac Imperii sui Patrem spirituale. Hic Princeps præter magnum pacis & concordie desiderium significabat, se jam hac de materia Papæ mox post captam Constantinopolim scripsisse.

Sed vehementer mihi doluit, addebat, quod Genuensibus propter initum mecum foedus anathema dixeris, eosque ad hoc rumpendum adigas. Miror te Principem Episcoporum præferre bellum paci & amicitie inter Christianos, Genuenses scilicet ac Græcos. Describat mala grandia post superatos a Latinis Græcos Christiano illata nomini, sacrilegia, profanata templa, sublata divina officia. Cum vero præterita, pergebat, infecta reddi nequeant, saltem in poste-

posterum removendæ sunt inimicitiae ac ^{Sæcul. XIII.} A.C. 1262.
 offensiones: & quemadmodum id ex a-
 nimo precor, si sincere idem cogites,
 tantum bonum res nulla impedire po-
 test. Tuum nostri parentis munus erat,
 nos prævenire: & tamen prior tibi pa-
 cem offerre volui, Deum & Angelos
 ejus contestans, me, si eam renuas, non
 habiturum, quod mihi exprobrem. Mo-
 do nec dogmata, nec ritus Religionis
 tango. Siqua de iis controversia est, fa-
 cilis post confectam pacem sedabitur.
 Oro demum, ut Nuncios ad me mittas
 pacificos vere: atque per illos tuum re-
 sponsum opperior.

§. XVII.

Papæ responsio.

Urbanus acceptis his Palæologi litteris
 Nuncios pro Græcia delegit quatuor
 Fratres Minores, Simonem Arvernien-
 sem, Petrum Morasium, Petrum Cre-
 stensem, ac Bonifacium Eperodicum.
 Sed quia in remotis tunc regionibus e-
 rant, Papa tam cito, quam voluisset, eos
 mittere haud potuit. Præterea bellum,
 quod Græci Guilielmo Villarduino Acha-
 jæ Principi, cæterisque ejus provinciæ
 Latinis movebant, Papam cohibuit me-
 tuentem, ne Palæologus mutasset ani-
 mum. Tandem an. 1263. illos ad Im-
 pera-

Rayn. n. 26.
Vading. n. 2.
Et c.

Sæcul. XIII.
A.C. 1263.

Rayn. n. 22.

peratorem misit cum epistola 28 Julii data, in qua magnum gaudium de officiosa ad pacem & concordiam invitatione, ac ingens ejus jungendæ desiderium significat. Illa si fieret, inquit, monstraremus tibi, quantos e sanctæ Sedis potestate fructus percipiant Principes, ejus communi ac benevolentia fruente. Si bellum inter eos aut dissidium oritur, Romana Ecclesia tanquam benigna mater se interponit, eorum manibus arma eripit, autoritate sua eos ad ineundam pacem adigit. Catholici Reges ipsi, si qua inter eos dissensio est, aut subditi adversum eos confurgunt, hanc ad Ecclesiam mox confugiunt, ab ea consilium & opem petunt, pacem & tranquillitatem certo recipiunt. Materno pariter affectu complectitur Principes primoribus etiamnum annis regna hæreditate natos: hos regit, hos fovet ac suis etiam, cum opus est, sumptibus tuetur ab injuriis bona aliena usurpantium. Vide, quibus in rebus tunc posita fuerit magnitudo Ecclesiæ seu potius Aulæ Romanæ!

Papa pergit: Igitur ejus ad sinum si redeas, non modo Genuensium cæterorumque Latinorum suppeticas, verum etiam, si res postulet, omnium Catholicorum totius orbis Regum ac Principum vi-
res

res ad firmandum tibi solium accerfet. Sæcul. XIII.
A. C. 1263.
Sed quamdiu obedientiæ detrectatio te a sancta Sede disjunctum tenebit, salvo officio nequimus permittere, ut vel Genuenses, vel alii quicumque Latini auxilium tibi ferant. Templorum direptiones, cæteraque hujusmodi facinora nemo prudens omnibus Latinis tribuit, sed adscribenda sunt prædonibus privatis, vel potius iis, qui per schisma suum hæc mala accivere. Quia vero pax non foret solida, nisi niteretur in fide, non debebas illam ante dogmata & ritus religionis postulare. Omnis pax, & omnis concordia inter adjectiva sunt, quæ ab illo substantivo pendent. Sic ætas illa loquebatur gravissimis in negotiis. Sed, quod notatu dignius est, secundum hanc Papæ ratiocinationem Christiani cum gentibus diversæ religionis nunquam pacem firmam possent conficere: id quod provenit ex ambiguitate vocabuli *fides*, quod modo pro assensu veritatibus a Deo apertis debito, modo pro fidelitate in fœderibus præstanda sumitur.

§. XVIII.

Alia Palæologi epistola.

Antequam Palæologus hoc responsum acciperet, alias ad Papam Urbanum litteras scripsit hunc in modum. Ragn.
1264. n. 58. Vestri, nostri-

Sæcul. XIII.
A. C. 1263.

nostrique antecessores sæpe Legatos sibi mutuo miserunt, ut Ecclesias reconciliarent: sed hi operam ludebant, quia proxime se invicem explicare non poterant, interpretes rudes adhibere coacti. Anno autem præterito, salutis 1262, regiminis nostri quarto Nicolaus Episcopus Cortonensis nos adiit, ut eum rogavimus, perbene gnari, eum origine Græcum, & in Romana Ecclesia educatum utriusque Ecclesiæ doctrinam perfecte nosse. Igitur eam græce nobis exposuit, sicut eam tradidere Patres Latini, nempe summi Pontifices Silvester, Damasus, Coelestinus, Agatho, Adrianus, Leo Magnus, & junior, Gregorius in Dialogis; Episcopi Hilarius Pictaviensis, Ambrosius Mediolanensis, Augustinus Hipponensis, Hieronymus, Fulgentius, cæterique. Et nos hanc doctrinam invenimus esse consentaneam doctrinæ nostrorum Patrum, Athanasii Alexandrini, Basilii Cæsareensis in Cappadocia, Gregorii Theologi, Gregorii Nysseni, Joannis Chrysostomi, duorumque Cyrillorum. Quapropter reconciliationis revera cupidi hunc ad vos Episcopum legamus, orantes, ut nobis eum celeriter remittatis non sine Legatis vestris, ut hoc grande opus consummetur.

n. 61. Videmus hic Patres tam Græcos quam Latinos a Græcis maximi æstimatos. Papa demum anno sequente 22 Junii responsum

sponsum dedit, in quo Imperatorem ad concordiam tam probe affectum esse magnopere gaudet, ac Episcopo Cortonensi, quem ad eum remisit, duos Fratres Minores, Gerardum Pratensem, atque Rainerium Senensem tanquam suos Nuncios adjunxit.

Sæcul XIII.
A. C. 1263.

Hujus negotii successum expectans Papa non omittebat de sumptibus belli ad reponendum in solio Balduinum necessariis providere. Quocirca duos in Angliam Nuncios misit Leonardum Bernardumque, qui post festum divinæ Triadis diem 27 Maji Westmonasterii magni Episcoporum Clerique conventum habuere. Negabant omnino se velle quidquam ad eam rem contribuere tum propter dissidium inter Regem ac Proceres Angliæ, tum ob annonæ caritatem ex sterilitate agrorum ortam, debere se suo potius Regi, sibi que ipsis, quam Principi extero consulere causati. Etiam Clerus Franciæ pecuniarium ad recuperandam Constantinopolim subsidium detestavit: ut docent reprehensiones ideo provinciis Remensi, Senonensi, ac Bituricensi a Papa factæ. Abnuerunt illud pariter Castellæ ac Legionis Præsules.

Matth.
Westmon.
p. 382.

Rayn.
n. 19. 20. 21.

Sæcul. XIII.
A. C. 1263.

§. XIX.

Subsidium pro terra sancta.

Bibl. Orien.
p. 204.

Sanut.
p. 221.

ap. Rayn.
n. 2.

n. 7.

Galliæ Præsules ad subsidium pro Palæstina non tam difficiles se præbebant. Bibartius Bondocdarus Sultanus Ægyptius Mammeluchorum quartus hoc anno 14 Aprilis cum tricies mille equitibus Ptolemaidem delatus, combustis postridie hortis usque ad portas urbis processit, quæ magno in periculo erat. Incurfus causa fuit, quod Hospitalarii Templarii que quædam mancipia Sultano secundum pacta reddere recusarent, quamvis ipse restituere, quæ debebat, vellet. Eodem mense Saraceni cœnobium Bethlehemicum diruerunt. Propter hos nuncios Papa Urbanus S. Ludovico fusam epistolam lamentis plenam scripsit, in qua refert, Sultanum Babylonium, nempe Ægyptium, contra pactationum fidem numero cum exercitu venisse, inter montem Thabor & Naim posuisse castra, omnemque regionem usque ad portas Ptolemaidis occupasse. Immo etiam templum Nazarenum, in quo SS. Virgo ab Angelo salutata de Spiritu Sancto concepisset, ex odio Christiani nominis subrutum solo quasse. Templum in monte Thabor, ubi Christus se transformasset, ac post suam ad vitam reditum se discipulis spectandum

dum dedisset, demolitum esse. Hæc lo-
corum sanctorum everfio notanda est pro
ferie historiæ. Papa litteras finiit exhor-
tando Sanctum Ludovicum, ut celeres in
Palæstinam suppetias mitteret, eo quod
Sultanus se verno tempore reversurum
minatus esset. Dabat 20 Augusti.

Hoc fine Archiepiscopum Tyrium ut
Legatum suum in Galliam misit: & octavo
S. Martini die, seu 18 Nov. 1263
Parisiis conventus agebatur, in quo sta-
tutum est, quod sequitur. Legatus Regi
tradet, quas attulit, legendasque curavit,
litteras de centesima parte proventuum
sacrorum in bonum Palæstinæ colligen-
da, nec illas adhibebit amplius contra il-
los, qui Præfulum mandato paruerint,
quod est tale: Præfules non ob Papæ lit-
teras, nec per vim ullam, sed sponte ac
libenter tam pro se, quam pro Clero suo
terræ sanctæ decreverunt subsidium vi-
ginti solidorum in centum libras: ad
quod neminem potestas profana coget,
sed Præfules suæ quisque diocesis Cle-
rum per ecclesiasticas censuras adigent.
Parochus aliusve, cujus reditus duode-
cim libras Parisinas non excedit, nihil pen-
det, ni ultro volet. Hæc pensio durabit
quinquennio, ac dimidium ejus primum
festo S. Joannis die, alterum Christi na-
tali exsolvetur. Canonici de quotidianis
distributionibus suis nihil dabunt, dum-
modo

Sæcul. XIII.
A. C. 1263.

n. II.

to. 10. cont.
p. 824.
Join. obser.
p. 568.

Sæcul. XIII. modo ex communi Collegii ærario feratur subsidium.
A. C. 1263.

§. XX.

Propositio S. Ludovico a Clero facta.

Joinv. p. 13. observ.
p. 40. 368. Gall. Chr. to. 2. p. 301.
Ad hunc Clerici Gallici conventum Parisiis celebratum referri potest propositio universis a Præsulibus S. Ludovico facta teste Jonavillæ Domino ibi præsentate. Antifiodorensis Episcopus, qui rem denunciabat, erat Guido Mellotensis, illam sedem ab anno 1246 possidens. Is ad S. Ludovicum, Augustissime Princeps! inquebat, cunctorum Præsulum nomine tibi dico, te religionis interitum permittere. Rex his verbis territus formato crucis signo, Episcope! inquebat, cur ita loqueris? O Rex! subdebat Guido, nulla jam anathematum ratio habetur: nemo Ecclesiæ satisfacit: placet potius proscriptum mori. Quamobrem una omnes voce propter Deum, & quia id nostri muneris est, oramus, ut omnes tuos Prætores, Præsides, aliosque justitiæ Præfectos jubeas quemlibet, qui per annum ac diem proscriptus manserit, ipsius bona occupando ad efflagitandam absolutionem adigere. Rex ad ea retulit, se hoc libentissime imperaturum de illis, quos

quos Ecclesiæ vel proximo injuriam intulisse comperirent Judices. Sed ad hos non pertinet, reponerat Episcopus, rerum nostrarum cognitionem capere. Et Rex negabat, se id aliter facturum. Perperam enim agerem, addebat, si ad rogandam suppliciter absolutionem compellerem illos, quos non auditos Ecclesiastici injuria afficerent. Exemplum habetis in Britannicæ Comite; qui, quamvis proscriptus esset, cum Præsulibus provincie suæ septem annis litigans tam bene causam defendit suam, ut denique Papa pro eo contra illos pronunciaret. Jam, si primo eum anno adstrinxissem, ut se absolvendum curaret, fuisset coactus Præsulibus id cedere, quod ab ipso inique postulabant: qua in re Deum & Comitem graviter offendissem. Præsules, quod huic Regis responso opponerent, non habebant.

Sæcul XIII.

A.C. 1263.

Sup. Lib. 81.

§. 6.

§. XXI.

Concilia Burdigalensia.

Cleri hac de materia regulas indicant duo ejusdem temporis concilia, quorum utrumque in provincia Burdigalensi Archiepiscopus Petrus Roncevallius & primum quidem Connaci anno 1262 sui Pontificatus primo celebravit. Ibi hæc leguntur verba: Quos Dei timor a malo

to. II. p. 820.

c. 3.

D d 3

non

Sæcul. XIII.
A. C. 1263.

p. 823.

c. 2.

c. 6.

c. 1. 7.

non cohibet, illos pœna temporalis coërceat, oportet. Quapropter volumus, ut Barones cæterique, qui jurisdictionem profanam habent, per censuram ecclesiasticam cogantur proscriptos ad repetendum Ecclesiæ sinum ipsorum bona suæ potestati subjecta occupando vel alia ratione compellere. Alterum Concilium hoc anno 1263 convocatum præcipit, ut is, qui anathema per anni spatium toleraverit, hæreticus censeatur ac denunciatur: id quod eo spectabat, ut ille pœnis temporalibus per leges contra hæreticos statutis addicatur. Mandat etiam, ut quivis Parochus chartam teneat proscriptorum nomina continentem, ex qua eos denunciare possit, prout ipsi Judex injunxerit. Adhæc imperat, ut ne in mortis quidem articulo quisquam censuris exsolutus credatur, nisi de absolutione illius per litteras Judicis, qui ei censuram irrogavit, constet.

§. XXII.

Papa in declarando Imperatore Romano identidem tergiversatur.

Imperium Germaniæ etiamnum vacabat ab obitu Friderici, nempe amplius annis duodecim: & duo competitores, Alphon-

phonsus Castellæ Rex ac Richardus Cornubiæ Comes urgebant Papam, ut sententiam ferret, utrius electio esset potior. *Sæcul. XIII. A. C. 1263.*
 Cum Archiepiscopus Moguntinus exeunte anno priore comitia Electoribus indixisset ad ineunda rursus suffragia, quidam Conradinum, seu Conradum adolescentulum Imperatoris Friderici nepotem cogitabant eligere. Sed Papa per Regem Bohemiæ rem edoctus inhibitionem, *Rayn. 1262. n. 5. Sup. lib. 84. §. 28.*
 ne Conradinus cooptaretur, sex abhinc annis ab Alexandro IV. factam repetiit, alioquin electionem fore irritam, ac Electores proscriptum iri asserens. *Rayn. 1263. n. 38.* Scribebat 3 Junii 1262.

Hoc anno 1263 Rex Alphonfus imperatoriæ coronæ obtinendæ cupidus se denuo Papæ hunc in finem magnopere commendabat. Sed Urbanus, antequam causam penitus dijudicaret, partibus titulos assignaturus, auditis earum rationibus 7 Augusti diploma edidit, quo declarat se statuisse, utrumque in litteris suis electum Romanorum Regem appellare salvis amborum juribus. *n. 40.* Scilicet Alexandri antecessoris sui exemplo hanc magnam litem per transactionem partium dirimi cupiebat. *n. 48.* Verum hanc diu oppertus, cum eas adduxisset, ut Ecclesiæ Romanæ iudicio rem permitterent, per Nuncios eis significavit, ut anno sequente *n. 51. 52.*

Dd 4 quente

Sæcul. XIII. quente 1264. secundo Maji coram ipso
A. C. 1263. comparerent: sicut docent ejus literæ
Id. 1264. n. 37 Urbe Veteri ultimo Augusti anno
 1263 datæ: annoque proximo rursus id
 distulit in anni futuri diem S. Andreae sa-
 cram. Sed vitam usque eo non pro-
 duxit.

§. XXIII.

Acta contra Manfredum.

Rayn. 65.
Anon. Sic.
p. 859.

In Italia Manfredus magnis identidem virium incrementis auctus, adjunctis sibi Senensibus, Pisanis, & maxima He- truriae parte, in ipsam Marchiam Anco- nitanam aliasque status Ecclesiastici ter- ras procedebat. Igitur Papa non diu- tius ei parcendum ratus, primum die Coe- nae Domini, 29 Martii coram multitudine hominum (ut cunctis ex gentibus Christiani solenni hoc die ad sanctam Sedem adesse solent) illum ad dicendam causam advenire jussit, & tabulas hoc imperium continentes portis templorum Urbis Veteris, ubi residebat, affigi voluit. Ibi Manfredo primum Augusti praestituit, quo per se ipsum, aut per procuratorem compareret Apostolicae Sedi satisfacturus pro multis rebus, scilicet pro Ariana urbe suo jussu per Saracenos funditus e- versa; pro necatis tribus viris nobilibus, pluribusque aliis; pro contemptis censu-
 ris

ris ecclesiasticis, contra quas divinum of-
 ficiū per annos plures coram se peragi
 curaret, de hæresi se suspectum reddens;
 pro Sicilia intolerandis exactionibus op-
 pressa; pro consuetudine cum Saracenis,
 quos apud se teneret, atque Christianis
 præponeret. Ac verum est, eum ab an-
 no 1260 quam plurimos in Italiam vo-
 casse.

Manfredus, etsi rem non certo autho-
 re aliquo, sed publico rumore comperis-
 set, nolebat tamen Papæ de contumacia
 se accusandi occasionem dare, misitque,
 qui præscripto die ipsius excusationes pro-
 ponerent. Papa auditis ejus nunciis ne-
 gotium usque in octavam S. Martini diem
 seu 18 Novembris distulit. Imminente
 die Manfredus per alios ei significavit,
 se coram responsurum securitatem, & sta-
 tus Ecclesiastici terras cum comitatu di-
 gnitatem suam decente intrandi copiam
 petere. Papa consensit, ut ille ad sum-
 mum octingentos homines, e quibus cen-
 tum solummodo armati essent, ac septua-
 ginta equos adduceret, octoque dies in
 terris Ecclesiæ moraretur. Nequid ultra
 fieret, sub anathematis pœna prohibuit;
 duosque nuncios, qui Manfredi hac de re
 juramentum exciperent, misit, ut liquet
 ex ejus epistola 11 Nov. scripta. At
 huic negotio effectus defuit, sicut exhor-
 tationibus & minis, quas Papa Senensi-

Sæcul XIII.
 A C. 1263.

Chr. Mar.
 Spinelli.

Rayn. n. 67.

n. 73 75.

Rayn. 1264.

n. I.

D d 5 bus

Sæcul. XIII.
A.C. 1263.

bus & Pifanis fecit, ut eos a partibus Manfredi sejungeret. Exeunte anno Siciliam interdicto affecit. Sed Manfredum ac sectatores ejus censuras explodere, hasque in damnum religionis vertere videns, initio sequentis anni 1264 interdictum temperavit permittendo, ut sacrum sine cantu fieret, ac in templis Sacramenta obferatis foribus exclusisque proscriptis administrarentur.

Rayn. 1263.

n. 78.

Ughel. to. 9.

p. 294.

to. 7. p. 296.

Interim Papa cum Carolo Andegavice ac Provinciæ Comite de Sicilia coronam agere pergebat, ab Anglorum Rege in proprio se regno tuendi curis nimis occupato nihil expectans amplius. Quapropter in Galliam misit Bartholomæum Pignatellum Archiepiscopum Consentinum, hominem bellica laude, quam religionis studio clariorem, qui, cum a Manfredo dissidens ad Innocentium IV se recepisset, ab hoc Papa Metropolitanæ sedis Amalphensi an. 1254 impositus, ac post septem menses Consentiam translatus erat. Deinde a Papa Alexandro cum copiis in Calabriam Manfredi arma illatum missus, sed proditus relicta ipsa dicecesi sua redire ad Papam coactus fuerat. Talis erat Archiepiscopus Consentinus, qui an. 1263 Urbani IV nomine Regem S. Ludovicum stimulabat, ut Carolum fratrem suum ad Siciliam bello comparandam adjuvaret. Pignatellus etiam jussus erat

er. t Regi Angliæ suadere, ut Siciliam pro Sæcul. XIII.
filio suo Edmundo postulare desisteret. A. C. 1263.

§. XXIV.

S. Ludovicus Angliæ arbiter.

Papa insuper peculiarem in Angliam Legatum misit Cardinalem Guidonem Fulcodium Episcopum Sabinensem, qui pacem inter Regem ac Proceres conciliaret. Ferebat complura diplomata an. 1263. 22 Novembris diebusque sequentibus data, & habebat potestatem non modo censuris in rebelles utendi, sed mandandi etiam, ut sacrum bellicum contra eosdem caneretur: hoc enim remedium cunctis malis gravibus adhiberi solebat. Cum Urbanus simul Regi S. Ludovico scripsisset, ut civili Angliæ bello sedando navaret operam, hic Princeps tam efficacem dedit, ut Rex Henricus ac Proceres eum cooptarent arbitrum.

Compromissum Dominica post festum S. Luciae decima sexta Decembris anno 1263 Vindesoriam delatum petebat, ut Rex Ludovicus ante Pentecosten sententiam ferret suam, qui hoc tempus non expectavit. Partes Ambianum accersit, quo Rex Henricus ipse, multique Proceres se contulere. Ea, quæ utrimque proponebantur, audiebat & examinabat sedulo, præsertim præscriptionem anno

Sæcul. XIII.

A.C. 1264.

Sup. lib. 84.
§. 52.

1258 Oxonii factam, in qua vidit multum dignitati ac juri regio derogatum esse, ob eamque pactionem turbatum regnum, depressas Ecclesias, perpetratas direptiones, damna gravia multis indigenis exterisque illata fuisse; paucis: inde grandia fluxisse mala, & majora in posterum timenda esse. Tum Gallia Proceribus pluribusque aliis viris probis in consilium adhibitis sententiam suam arbitrariam dixit, per quam præscriptum Oxoniense, præcipue cum a summo Pontifice jam fuerit antiquatum, sustulit; Regem ac Barones Angliæ ab omnibus iis, quæ per illas tabulas promisissent, absolutos ac liberos declaravit, & singula in statu pristinum restitui jussit. Ita pronunciavit 23 Jan. an. 1263 scilicet 1264 ante Pascha. Hoc exemplum illustre docet, quanta estimatione justitiæ sapientiæque Rex S. Ludovicus apud externos floruerit.

Joinville
p. 12.

Justitiam populo suo administrari magno opere curabat, & præter jurisdictiones ordinarias exerceri prope se volebat illas, quæ dicebantur Judicia portæ, unde venerunt Cognitiones libellorum supplicum. Tres vel quatuor erant Proceres, qui ejus jussu hanc faciebant functionem, hujusque rationem ei postea reddebant. Æstivo tempore, postquam divino sacrificio interfuerat, sæpe ambulatum ibat ad nemus Vincenianum, ibique ad quercum con-

confidens hos Proceres sibi affidere jubebat. Tum omnes illi, qui habebant negotium, ei locutum veniebant: nec factellitum quisquam vel alius arcere illos poterat. Rex maxima suæ vocis contentione quærebat, an aliquis causam vellet dicere: & quosdam Proceres, qui rem expedirent, vocabat. Sed siquid in orationibus Advocatorum carpendum censuit, ipse humaniter eos reprehendebat. Interdum eis aures præbebat in horto Regiæ Parisinæ, ubi hodie forum Delphini est. Dominus Jonavillæ, qui hæc omnia refert, inter hos Judices portæ frequenter erat.

§. XXV.

Continuatio rerum Siciliae.

Eodem anno 1264 Papa Simonem Briensem Cardinalem S. Cæcilie in Franciam ut Legatum misit, qui a Clero decimam pro bello contra Manfredum peteret, atque cum Carolo Andegaviæ Comite ageret de conditionibus, quibus is Siculum regnum acciperet, a Papa inaugurandus. Mandatum Urbanus dedit 25 Aprilis: & 3 Maji S. Ludovico per litteras ob oculos posuit periculum religionis in Italia propter bellum, quod ibi Manfredus gereret de consiliis cum Andegaviæ Comite agitatis edoctus. Plurimum

Sæcul. XIII.

A. C. 1264.

Rayn. 1264.

n. 9. 10.

n. 13.

Sæcul. XIII. rium Ecclesiarum cathedralium, ait in
A.C. 1264. Papa, plurimumque coenobiorum possessionem occupavit, ubi protegit intrusos: alia, prout animo lubet, aliis tanquam beneficia fiduciaria confert, illorum redditus in suam rem vertens. Interea pullulam hæreses per totam fere Italiam; catholica fides deprimitur; minuitur servitium divinum; libertas & jura ecclesiastica calcantur pedibus; Præsules atque Clerici mittuntur in exilium, mutilantur, perimuntur; loca Deo sacra suis spoliata bonis convertuntur ad usus profanos: Sacerdotes aliqui in locis interdicto affectis officia divina peragere, & Sacramenta proscriptis administrare coguntur.

Papeb. con.
*p. * 47.*

Huc pertinet illud, quod Matthæus Spinellus refert, qui sequente autumno ad exercitum Manfredi se contulit. Tercio Septembris 1264 venerunt tres viri nobiles a Neapolitanis missi Regi supplicatum, ut pacem cum Papa jungeret, eo quod urbs anathemate perculsa maneret, & Archiepiscopus sacrum fieri nollet. Rex, Bellum, inquit, non geritur mea sed Papæ culpa, e regno pellere me cupientis. Mittam Neapolim trecentos Saracenos per vim facturos, ut res divina confiscetur. Sacerdotes ac monachos, qui mandatum abnuerint, in triremi ad me mittere! Ad ea Nuncii: Domine! noli mittere

tere Saracenos! Neapolis eos non recipiet. Tum Manfredus ira excanduit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1264.

§. XXVI.

Divinum monitum Julianæ Cornillomontanæ datum.

Interea dum Papa de bello contra Manfredum cogitabat, non omisit SS. Eucharistiam festa religione ac ceremonia colendam præcipere, qua illam hoc primum anno 1264 die Jovis post octavam Pentecostes 19 Junii coluit. Res ab origine causisque primis est exponenda. Cum ille Leodii Archidiaconus esset, singulariter noverat sanctam virginem aliquam nomine Julianam religiosam hospitalariam Cornillomontii prope unam portarum urbis. Juliana per omnem vitam suam SS. Altaris Sacramentum peculiari pietate venerabatur: & ab anno ætatis suæ sexto decimo, hujus seculi octavo, quotiescunque se sacris impendebat precibus, lunam plenam sed modico nævo affectam cernere sibi videbatur. Hæc imago se illi sic exhibebat, ut eam impedire non posset: id quod longo duravit tempore. Tentationem esse rata multas fudit preces, ut ab ea liberaretur. Postea, quid illa species indicaret, quærenti dictum interius est: Luna Ecclesiam significat, nævus

Boll. to. 9.
p. 437.

p. 459.

vus

Sæcul. XIII.

A C. 1264.

vus omissionem festi ad honorandam SS. Eucharistiæ institutionem singulis annis celebrandi. Hoc tu festum incipere, hoc agendum annunciare prima debes.

Juliana quamvis hoc sibi a JESU ipso dictum crederet, diu tamen renuit, tanti momenti negotium quibusdam Doctoribus in Ecclesia auctoritatem habentibus melius convenire causata. Denique post annos viginti cedens, rem primum Joanni Lausannensi Leodii ad S. Martinum Canonico eximie virtutis homini aperuit, ut tecto ipsius nomine optimos Theologos hac de re consuleret, orans. Quam ille totam detexit Jacobo Pantaleoni tunc Leodiensi Archidiacono, qui dein Papa Urbanus IV erat, Hugoni a S. Charo, tum Ord. Præd. Magistro Provinciali, qui postea Cardinalis evasit, Guidoni seu Guiardo Laudunensi Episcopo Cameracensi, Cancellario Ecclesiæ Parisinæ, tribus Theologiæ Professoribus id temporis Leodii docentibus, pluribusque aliis doctis probisque viris. Censebant omnes, æquum ac Ecclesiæ salubre fore SS. Eucharistiæ institutionem solennius quam antea celebrare. Juliana rei secreta officium de Sacramento Altaris confici curavit per quendam Religiosum ejusdem domus Joannem nomine, juvenem parumque eruditum, sed purissimæ vitæ hominem.

Divul-

Divulgato hujus festi consilio plures
 Ecclesiastici opponerant, id esse superva-
 caneum; Eucharistiæ institutæ memo-
 riam quotidie in sacro fieri; Julianæ vi-
 siones esse deliria. Verum Robertus To-
 rotius Episcopus Leodiensis aliter judi-
 cans an. 1246 per litteras universo suæ
 diocesis Clero inscriptas SS. Corporis
 Christi festum quotannis die Jovis post o-
 ctavam divinæ Triadis agi, & pridie je-
 junium coli jussit. Hoc decretum in sua
 synodo edicere statuerat; sed mors eum
 prævenit eodem anno 16 Octobris. An-
 no sequente 1247 Canonici ad S. Marti-
 num id festum primi celebrarunt. Hugo
 a S. Charo, qui Ordinis Prædicatorum
 Magistrum Provinciale agens hujus fe-
 sti consilium approbaverat, factus Cardi-
 nalis tit. S. Sabinæ ac Pontificius in Ger-
 mania Legatus, cum Leodii esset, offi-
 cium de SS. Eucharistia monstratum sibi
 ac probe examinatum æqui bonique fe-
 cit. Immo ut exemplum præberet, fe-
 stum novum ad S. Martinum de Monte
 celebrans ad frequentissimum ibi popu-
 lum hac de re dixit, & sacrificium solen-
 nissimo ritu peregit. Tum ad cunctos
 Præsules omnesque Christianos per spa-
 tium legationis suæ litteras dedit, in qui-
 bus festum SS. Sacramenti singulis annis
 die Jovis post octavam Pentecostes agi ju-
 bet, Christianosque admonet, ut ad illud

Hist. Eccles. Tom. XXI.

E e ita

Sæcul. XIII.

A. C. 1264.

Chapeau.

c. 6.

Boll. p. 442.

Chap. c. 8.

Sæcul. XIII. ita se præparent, ut eo die sacram com-
A.C. 1264. munionem digne accipiant. Scripsit 29
 Decembris an. 1252. Biennio post Car-
c. 9. dinalis Petrus Capocius itidem Legatus
c. 10. Leodii commorans simile mandatum e-
 didit.

Boll. p. 442.
443.

Henricus Geldrus in Leodiensi Epis-
 copatu Roberti successor belli quam reli-
 gionis studio magis assueverat: ejusque
 tempore in dioecesi tanta erat morum li-
 centia, ut multi e Clero contra novum fe-
 stum & Julianæ visiones declamarent, eam-
 que vexatam Leodium relinquere coge-
 rent. Illa naturæ concessit an. 1258. 5.
 Aprilis, eaque in regione ut beata colitur.
 Habuerat amicam singularem Evam no-
 mine Leodii cella clausam prope S. Mar-
 tini, & Papæ Urbano, cum ibi ageret, pa-
 riter notam. Hæc postquam eum ad
 sanctam Sedem evectum audiit, Canoni-
 corum aliorumque virorum pro novo fe-
 sto stantium opera sibi utendum censuit,
 qui Episcopum Henricum orabant, ut Pa-
 pæ hac super re scriberet: atque hoc est,
 quod eum permovit, ut hoc festum totam
 per Ecclesiam celebrari juberet.

§. XXVII.

Festum SS. Corporis Christi.

Hoc præstitit per diploma cunctos ad
 Præsules scriptum, in quo primum
 institu-

institutionem SS. Eucharistiæ refert, postea in considerationem hujus mysterii excurrit. Ad rationes indicendi festum veniens, easdem adhibet, quas Episcopus Leodiensis ac Legatus Hugo in epistolis suis memoraverant. Earum summam habe! Etsi quotidie in sacro institutionis hujus Sacramenti memoriam renovemus, solennius tamen saltem semel quotannis celebrandam ducimus, præsertim hæreticos in ruborem dandi gratia. Nam die Coenæ Domini Ecclesia est occupata reconciliando poenitentes, consecrando chrisma, lavando pedes, aliaque obeundo munia, quæ obstant, ne venerando huic mysterio se totam impendat. Sic tamen si Sanctorum memoriam in litanis & sacrificiis sæpe renovet, haud omittit eos certis anni diebus peculiari cultu profectui, ac socordiam tunc forte admissam supplendi causa instituit festum Sanctorum Omnium, quo universos simul honoret.

Et vero, cum quondam minore munere fungeremur, comperimus Deum quibusdam animabus catholicis aperuisse, hoc festum toti Ecclesiæ generatim esse agendum. Quamobrem præcipimus, ut primo die Jovis post octavam Pentecostes Christiani pie in templa conveniant, ibi divinas cum Clero laudes canturi. Vos exhortabimini populos, ut per rectam confessionem, per stipem, ac preces cætera-

E e 2

que

Sæcul. XIII.

A.C. 1264.

To. XI. cons.

p. 817.

Sæcul. XIII. que pietatis exercitia ad hoc festum &
A. C. 1264. ad divinum epulum digne accipiendum
 se præparent. Atque incitamenti gratia
 transigendos in poenis dies centum re-
 mittimus Christianis, qui matutinis diei
 psalmis adfuerint, totidem pro sacrificio,
 totidem pro vespertinis precibus pridie
 cantatis, totidem pro secundis; pro pri-
 ma, tertia, sexta, nona & completorio, ut
 vocamus, quadraginta dies, & pro inte-
 gro cujusque intra octavam diei officio
 dies centum deducendos de poenitentia,
 quæ illis injuncta fuerit. Nota, hoc in
 diplomate nec jejunii pridie festum ser-
 vandi, nec supplicationis publicæ, nec ex-
 ponendi SS. Sacramenti mentionem
 fieri.

to. II. conc.
p. 817.

Papa hoc diploma singulariter Evæ
 Leodii cella clausæ mittebat cum epistola
 8 Sept. 1264 scripta, in qua dicit: Fa-
 ctum est, quod tantopere desideraveras:
 institutum est sacrosancti Corporis Christi
 festum. Id universis cum Præsulibus,
 qui circa nos fuere, declaravimus, & mit-
 tentes tibi codicem hujus festi officium
 continentem volumus, ut, quotquot cu-
 pierint, homines id describere libenter
 patiaris. Hoc est officium SS. Sacramen-
 ti a S. Thoma Aquinate Papæ jussu com-
 positum, quod etiamnum dicimus. Ve-
 rum, quia Papa Urbanus hoc ipso anno
 vitam edidit, hujus festi celebratio an-
 nis

nis quadraginta & amplius interrupta Sæcul XIII.
A. C. 1264.
fuit.

§. XXVIII.

Concilia Nannetanum & Parisinum.

Vincentius Archiepiscopus Turonensis to. II. p. 726.

hoc anno 1264 die Martis post festum S. Petri, nimirum 1 Julii suum concilium provinciale Nanneti habuit. Novem ibi canones promulgabantur. Præsules ac Patroni nemini promittant beneficium nondum vacuum: Vicarii non constituantur præterquam in casibus, in quibus id a jure permittitur. Nemo a Clericis portorium exigat pro rebus, quas non mercimonii causa vehi curant. Qui habet beneficium animarum cura præditum, ibi resideat; & quod consequitur, si aliud ejusmodi beneficium obtinet, primum amittat. Clerici, præsertim Sacerdotes ac Religiosi venatu se non exercent. Monachorum numerus in Prioratibus non diminuatur. Præsulibus, cum provinciam lustrant, duo tantum cibi apponantur.

can. 1.

4.

7.

6.

3.

c. 2.

c. 5.

Eodem anno postridie festum S. Bartholomæi nempe 26 Augusti Parisiis quoque concilium agebatur, in quo Legatus Simon Briensis Cardinalis S. Cæcilie to. II. p. 828.

E e 3

præsi-

Sæcul. XIII. præsidebat. Rex S. Ludovicus veteri ac
 A. C. 1264. generali juramentorum abusu & blasphemiarum peste regnum suum speciatim occupante graviter commotus, eamque radicatus extirpare serio cogitans cum Legato consilium iniit, cuius & sua auctoritate hunc conventum ex Præsulibus Proceribusque collegit. Legatus sermonem nervosum habuit, cui Rex pro suo religionis studio piam exhortationem iunxit solidis & clare expositis rationibus fultam. Tum ex universi cœtus sententia decretum edidit severissimum, quod toto in regno promulgatum etiam executioni mandari voluit. Nam cuidam civi Parisino, qui nefarias in Cœlum voces evomuerat, candente ferro labia notari iussit, ut exemplum statueret: ac plures viros sapientes, quales profanis quidem hominibus videbantur, id carpere audiens, Vellem, ajebat, similiter esse signatus, & hanc deformitatem per omnem vitam meam ferre, dummodo istud vitium e regno meo prorsus exterminatum esset. In hoc ipso conventu Legatus a Clero gallico decimam obtinuisse creditur, sine qua Carolus Andegaviæ Comes expeditionem in Siciliam suscipere recusabat, & hoc cum Principe condiciones constituit, quibus is ut Rex Siciliae inauguraretur.

Sæcul. XIII.

A. C. 1264.

*Guifr. Bel-**lolo. c. 22.**Duchesne*

p. 459.

Joinv.

p. 120.

to. 9. Spicil.

p. 716.

§. XXIX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1264.*Cypriorum perversitas.*

Papa Urbanus comperit in Cypro insula præsertim Nicosiæ regni metropoli Christianos tam Clericos, quam laicos atrocitæ scelera, blasphemias sæpe ob lulum aleatorium, sortes magicas, adulteria, aliasque impuritates execrabiles committere; & Archiepiscopo canonicas sententias pœnas irroganti Prætorem seu Administratorem regni obsistere. Is erat Hugo Licinianus, qui, quamdiu Rex cognatus ejus minor annis erat, Cyprum gubernabat. Perhibebat, horum criminum castigationem ad se pertinere, & Archiepiscopum domesticos tantum Clericosque suos corrigendi jus habere. Per hanc controversiam de jurisdictione scelera manebant impunita, abibant in consuetudinem, ac indies multiplicabantur. Demum insuper habito Alexandri IV. præscripto Græci Syrique in Cypro Archiepiscopo Nicosiæ Latino parere volebant, & seorsum agebant conventicula. Papa Urbanus Liciniano de his omnibus Archiepiscopi querelis cum emphasi scripsit, ni suum ei jus tribueretur, se censuras ab hoc Præsule pronunciatas confirmaturum asserens.

Rayn. 66.

Sæcul. XIII.
A. C. 1264.

§. XXX.

Patriarcha Arsenius accusatur.

Pachym. lib.
4. c. 1.

Gregoras
lib. 4. c. 4.

Imperator Michaël Palæologus a Patriarcha Arsenio duos abhinc annos proscriptus hanc conditionem suam diutius ferendo non erat. Absolutionis per mansuetudinem obtinendæ viis omnibus tentatis, Præsulem flecti posse desperans, se de illo vindicare statuit. Nolebat tamen potestatem suam, vel apertam vim adhibere, sed iudicio saltem in speciem canonico exauthorandum curabat. Convocatis proin Præsulibus, Imperii curæ, agebat, hominem totum postulant. Ego autem ingenium liberum habere nequeo, quamdiu Patriarcha hac me censura ligatum tenet. Redigit me ad id, quod fieri non potest, cum res in statum pristinum restitui nequeant, & ille malo jam factio mederi nolit. Non modo nulla charitatis officia mihi præstat, quibus ad poenitentiam me adducat, sed & illa respuit, quæ ego exhibeo me submittens poenis omnibus, quas vel durissimas mihi irrogabit: ad desperationem adigere me velle videtur. Oblique mihi significat, deponendum mihi esse imperium, agendumque hominem privatum. At non video, cuinam id expediret. Imperio haud prodesset, quia ille, qui ad id destinatus

natus erat, regnando par non est, nec e-
 rit unquam. Et quod ad peculiare meas
 rationes attinet: quæ mihi fiet sponsio,
 me post abdicationem meam victurum in
 pace? quæ securitas pro conjuge ac libe-
 ris meis? Qui semel supremam exercuit
 potestatem, haud facile eam ita exiit,
 ut se non exponat periculo. Imperator
 in loco multorum odiis objectus est sibi
 tantum in speciem fidelium: quid hi fa-
 cient, dum nullus eos cohibebit metus?
 Denique Ecclesia certas poenitentiae re-
 gulas statuit, secundum quas cum homi-
 nibus privatis agitis: num illa pro Im-
 peratoribus alias habet? Si leges hac de
 re vos deficiunt, Ecclesiis aliis non de-
 sunt: eo confugiam: ibi remedium, quod
 quæro, inveniam. Volebat dicere, se Pa-
 pæ opem imploraturum: quod minandi
 genus Episcopis Græcis terrificum erat.

Et vero auxilium Imperatori ferre de-
 cernebant. Qui rursus alium atque al-
 ium deprecatores, præsertim suum pa-
 trem spiritualem Josephum Abbatem Ga-
 lesinum ad Patriarcham misit. At is tan-
 tum magis exacerbatus, inexorabilis per-
 sistit. Quinta jejunii verni hebdomade,
 die Sabbati quinto Aprilis an. 1264 cum
 a nocturno officio exiretur, primus Eccle-
 siæ Constantinopolitanæ Notarius Impe-
 ratori libellum præbuit, per quem Pa-
 triarcha multis ex capitibus accusabatur,

E e 5 scilicet,

Sæcul. XIII.

A.C. 1264.

Pachy. 4. c. 2.

6. 3.

v. Maur.

David.

Sæcul. XIII. scilicet, quod de precibus antelucanis psal-
 mum pro Imperatore detraxerit; quod

A.C. 1264.

l. 2. c. 24.

Sultano ejusque hominibus faveret us-
 que adeo, ut eos Ecclesiæ balneo uti cre-
 bro pateretur, quamvis essent Musulmani,
 & illius balnei marmoribus cruces in-
 cifæ fuerint. Hic Sultanus erat Azatin,
 seu potius Azeddin Turca Seljucides Sul-
 tanus Coniensis, Tartarorum metu ad
 Græcos delatus. Tertium incusationis
 caput fuit, quod Arsenius Sultani liberis
 SS. Evcharistiam porrigi curaverit, et illi
 non constaret, eos sacro fonte lustratos
 esse. Denique quod Sultanus ipse cum
 suis Satrapis die Paschatis matutinis psal-
 mis adfuerit, quos Patriarcha choro præ-
 iisset. Hæc sunt, quæ libellus conti-
 nebat una cum aliis hujusmodi accusa-
 tionibus.

Imperator eo avide accepto congrega-
 tos, qui Constantinopoli erant, Episcopos
 in consilium adhibuit. Patriarcha de
 querimonia edoctus, tametsi juridico ritu
 nondum accusatus esset, ita respondit:
 Ego hunc psalmum in templo more mo-
 nastico cantari jusseram: & ego eundem
 suppressi reliquas preces sufficere videns.
 Ad hæc Imperator in statu, in quo est, non
 habet, quod ea de re queratur. Nec sci-
 vi nec volui Sultani homines Ecclesiæ
 balneo uti: eademque ratio haberetur
 eos a cunctis reliquis balneis excludendi,
 eo

eo quod in singulis cruces sanctæque imagines dentur. Sultanum ac liberos ejus ut Christianos tractavi ob testimonium Episcopi Pisidiensis. Si contrarium demonstraretur, culpa in illo solo residet. Imperator his ejus responsis haud contentus concilium ex omnibus Episcopis conflare voluit, cui etiam duo Patriarchæ Nicolaus Alexandrinus, ac Euthymius Antiochenus interessent.

Sæcul. XIII.
A. C. 1264.

§. XXXI.

Arsenius in concilio exautoratus.

Concilium in quadam palatii aula habebatur, ubi Imperator primum tenebat locum, in dignitate positus viris omnibus Senatuque toto stipatus. Præter Episcopos quorumlibet cœnobiorum Abbates ac monachorum præcipui aderant. Actor libellum exhibuit, qui publice legebatur. Decretum est, ut Patriarcha Arsenius in jus vocaretur, misique ad eum tres Episcopi cum tribus Clericis. At comparere omnino renuit, se non iudicium, sed hujus formam, locumque ac homines recusare asserens. Res eo spectat, addidit, ut Patriarcha in palatio coram Imperatore proscripto & vindictæ cupido in præsentia Procerum ac

Sæcul. XIII.
A.C. 1264. ac hominum profanorum judicetur. Hac
responsione scripto tradita & ad conven-
tum delata Arsenius post certa temporis
intervalla, ut canonici fervarentur ri-
tus, iterum ac tertio citatus semper idem
reposuit.

c. 5. Interim experturus, an Imperatorem
ad saniora posset inducere, eum adiit, a
quo comiter exceptus officiosis sermoni-
bus diutissime detinebatur. Erat dies
Dominica, & Imperator, ut primum Pa-
triarcha in templi aditu compareret, sa-
crificium inchoari jusserat, absolutionem
tacitam captans. Itaque, cum venisset
p. 177. hora, a palatio simul ad templum ibant,
& Imperator Patriarcham trabea tenebat.
Dum ad portam aderant, benedictionem
ex more Diaconus petiit, & Patriarcha
dedit: sed mox cognita Imperatoris frau-
de trabeam e manibus ejus retrahens ei-
dem, quod fallere ipsum voluerit, expo-
bravit, celeriterque aufugiens se domum
recepit suam. Ille acceptam ab eo igno-
miniam Episcopis conquestus, ut rei fini-
nem imponerent, instabat: seque ad dis-
cessum, si proscriptio se a concilio exclu-
deret, offerens, illatæ sibi, ut remaneret,
violentia credere se simulavit.

z. 6. Igitur Patriarcha postremo accerseba-
tur: tum ob contumaciam credebatur
damnari posse ex septuagesimo quarto
Canone Apostolorum. Attamen majoris

ris securitatis gratia Concilium funda- Sæcul. XIII.
 menta scrutari cupiens accitum actorem A. C. 1264.
 eorum, quæ detulerat, factorum argu-
 menta edicere iussit. Is notitia publica
 nitebatur. Auditi tamen sunt testes, qui
 Sultanum in templo precibus interfuisse
 affirmabant. Supererat sciendum, an is
 esset Christianus, nec ne. Et Sultanus
 Patriarcham purgandi gratia Imperatori
 per nuncium indicavit, se ad honorandas
 imagines, immo etiam ad pernam come-
 dendam paratum esse. Tum illi, qui Ar-
 senium condemnare volebant, si Sultanus
 se adjunxisset Christo, idem omnes Tur-
 cas ejus comites egisse negabant. Cum
 ad dicendas sententias ventum est, Epis-
 copi omnes, si septem vel octo excipias,
 Patriarcham exauthorandum censebant:
 plerique tamen damnationem ejus sola in
 contumacia fundabant: ii, qui aliter sen-
 tiebant, vellent, nollent, communi judi-
 cio accesserunt: per acclamationes Im-
 peratoribus fieri solitas solutum concilium,
 missique duo Episcopi, qui rem Arsenio
 nunciarent.

Serus vesper erat, cum id coram Cle-
 ro universo facientes ipsum ad abeundum
 parare se jusserunt. Ille mox gratiis Deo
 actis respondit se iturum, quo vellent.
 Tum ad Clerum conversus, Filioli mei!
 aiebat, quid de me factum sit, audiistis.
 Deus permisit: ejus voluntati parendum,
 quid-

Sæcul. XIII.

A.C. 1264.

quidquid de nobis statuatur. Commisissum mihi ab eo gregem duxi, ut potui. Multis forsitan molestus eram, ut multi mihi. Ignoscamus mutuo errores nostros! Ite jam, inspicite thesaurum templi, reliquias, vasa sacra, ornamenta & libros, ne sint, qui etiam furti me arguant. Valetate filii! Patriarchali e palatio refero, quæ attuli, meam vestem, meas tabellas, ac tres numeros, quos lucratus sum psalterium describendo secundum regulam monasticam. Sic locutus illis in pace dimissis in sella hærebat sua, Imperatoris mandatum leniter opperens. Hæc rei adjuncta refert historicus Pachymerus, qui præfens, ac inter illos erat, qui templi thesaurum esse integrum comprobarunt. Imperator Arsenium ea ipsa nocte corripit, ac postridie in Proconesum insulam prope littus Anatoliæ abductum ibi parvo cuidam coenobio includi voluit, appositis custodibus, qui eum videndi cupidos arcerent. Ita in exilium actus est exeunte Majo anni 1264.

§. XXXII.

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus.

At ea res schismatis inter Græcos causa fuit, & quam plurimi illum semper Patriar-

Patriarcham agnoscebant. Cui malore-
medium allaturus Imperator populo ante
suum palatium convocato e conclavis sui
fenestra per cancellos loquebatur, cur
gradu motus esset Arsenius, & quænam
incommoda schisma consequerentur, ex-
ponens, iisque, qui se hoc implicari pa-
terentur, minitans. Episcopis copiam
fecit cooptandi Patriarcham, quam di-
gnissimum censerent. Qui Blaquernano
in templo Germanum Archiepiscopum
Adrianopolitanum elegerunt. Erat vir
sinceri animi, ingenuis moribus, in obeun-
dis muniis suis suavissimus, curiosus, nec
modo præceptorum virtutis, sed & rerum
gerendarum æque gnarus ac quisquam
alius. Non valebat facundia, sed elo-
quentes amabat, audiebatque libenter;
in congressu facilem se præbebat & com-
modum, virtutem non in externa seve-
ritate, aliorumque contemptu collo-
cans.

Imperator hanc electionem lætus pro-
bavit, utpote Germano jam diu favens.
Nam cum Imperatoris Theodori gratia
excidisset, & ad Iconii Sultanum se con-
ferret, Germanus supra montem Nigrum
in confinio Imperii Græci monasticam du-
cens vitam Michaëli Palæologo obviam
profectus magnifice accepto dedit, unde
iter suum pergeret. Postea Michaëll Impera-
tor factus Germano se adeunti vicissim
magnum

Sæcul. XIII.

A. C. 1264.

Pachym. l. 4.

c. 10. 11.

*Sup.**Gregoras**lib. 4. c. 4.*

Sæcul. XIII. magnos exhibuit honores, dein Adriano-
A.C. 1264. politanam sedem, ac denique Constanti-
 nopolitanam tribuit. Germanus eo
 translatus est die Pentecostes 8 Junii
 anno 1264.

§. XXXIII.

Urbani IV. obitus.

Rayn. n. 31. Papa biennio Urbe Veteri permanerat,
 70. ubi plerasque litteras suas dabat. Sed
 hoc anno, cum Urbevetani contra ipsum
 consurgentes castrum ad Ecclesiam per-
 tinens occupassent, in lectica Peruliam
 delatus ibi curriculum vitæ confecit die
 Jovis 2 Oct. 1264 postquam Sedem Apo-
 stolicam tribus annis, uno mense, quatuor
 diebus tenuerat. In æde cathedrali
 S. Laurentio dicata terræ mandatus est.
 In ejus litteris memorandum bonitatis
 exemplum cernitur. Quo tempore Ar-
 chidiaconus Leodiensis erat, Papa Inno-
 centius IV. Lugduni commorans eum in
 Germaniam misit quædam Ecclesiæ Ro-
 manæ negotia curaturum. Illic tres No-
 biles diocesis Trevirensis comprehensum
 aliquamdiu in custodia detinuerant, ad-
 emptis ipsi equis, pecuniis, aliisque bo-
 nis mobilibus. Deinde cum Romanum
 conscendisset solium, illi restitutionem
 ereptorum omnium, & pro injuria satis-
 factionem obtulerant, id solum orantes,
 ut

Id. n. 30.

ut ne per se ipsos absolutionem ab anathemate, in quod incurrissent, acceptum ire cogentur, periculisque itineris & hostibus, quos haberent, se exponere. Papa Confluentiam Priori Fratrum Prædicatorum scripsit, ac per eum fontes absolvit, se omnem injuriam sibi factam liberaliter ipsis coram Deo ignoscere declarans, injungensque tantum, ut ab ejusmodi violentia deinceps abstinerent. Dederat 9 Julii an. 1264. Post Urbani mortem sacra Sedes quatuor menses vacavit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1264.

§. XXXIV.

Clemens IV. Pontifex Maximus.

Interea Guidoni Fulcodio Cardinali Episcopo Sabinensi cum Legati Potestate in Angliam misso hujus aditum intercludebant Barones ac Episcopi contra Regem suum rebelles. Nec enim obsequabantur S. Ludovici sententiæ; atque instauratum bellum civile acrius quam antea flagrabat. Legatus igitur suspensus itinere Bononiæ urbe maritima hæere diu coactus eo quosdam Angliæ Episcopos cis mare agentes convocavit. Tum summi Pontificis autoritate omnes Anglos Regem suum armis persequentes anathemate perculit, urbemque Londinum & quinque portus Angliæ sibi præclusos interdicto affecit. Executione ut

Matth. Westm. p. 397. 384. to. II. conc. p. 830. Mat. Par. p. 834. an. 1265.

Histor. Eccles. Tom. XXI. Ff trius-

Sæcul. XIII. triusque censuræ Episcopis Angliæ, quos
A. C. 1265. acciverat, commissa, in viam se dedit ad
 Aulam Romanam reversurus.

Rayn. 1265.
n. 1. 2.
Papebr. co-
nat. p. 53.

Rayn. n. 9.

At vero se in Papam Perusiæ electum esse in itinere edoctus illuc se contulit, Manfredi insidias evitandi causa fratrem mendicantem vestitu præferens. Cum advenisset, omni conatu adhibito, ut pontificatum a se dimoveret, tandem hoc munus 6 Febr. 1265, coronam die Cathedræ S. Petri, 22 ejusdem mensis, prima jejunii verni Dominica accepit. Clemens IV. dici voluit, utpote die S. Clementis in lucem editus, eodemque plures a Deo gratias singulares adeptus. Ita se promotum cunctis Episcopis pro more indicavit per epistolam encyclicam 26 Febr. datam. Ejus sensa de nova dignitate sua docent responsa, quæ Principibus eam sibi gratulantibus reddidit, ac multo clarior litteræ, quas Petro Crasso nepoti suo scripsit in hanc sententiam.

Honoris nostri amplitudo multos gaudio, nos, qui nostri muneris immensam molem soli sentimus, horrore perfundit & lacrymis. Proinde ut intelligas, quomodo te gerere hac in re debeas, scito, tibi ea de causa tanto plus demissionis esse induendam. Nolumus vel te, vel tuum fratrem, vel alium quenquam e nostris, nisi expresse jusserimus, ad nos venire, quippe incisa spe sua cum pudore rediturum.

rum. Sorori tuæ honorificentius quod-
dam conjugium ne quærito: non id boni
confuleremus, nec operam tuam nostrum
sequeretur subsidium. Attamen, si eam
simplicis Equitis filio jungas, trecentos
nummos Turonios mittere cogitamus.
Conficiebant centum quinquaginta circi-
ter nostræ monetæ libras. Plus si desi-
deres, ne denarium quidem a nobis spe-
ra! id ipsum quoque secretissimum esse,
ac præter te matremque tuam nemini
constare volumus. Absit, ut e cognatis
nostris quispiam nostro de gradu super-
biat: sed Mabilia Cæciliaque nubant, ut
nuberent, si simplex Clericus essemus. A-
di Ægidiam, & dic ei, ne mutet locum, sed
Segusii maneat, omnem gravitatem, &
quantam possit, in amictu modestiam ser-
vans. Neminem commendet nobis!
nulli prodesset, atque noceret sibi. Siqua
ideo dona ei offerantur, renuat, quando
nos sibi favere cupit. Matri fratribusque
tuis a nobis multam salutem! Litteris ad
te familiamque nostram scriptis non im-
primimus sigillum majus, sed annulum pis-
catoris, quod summi Pontifices ad nego-
tia arcana adhibent. Dabat Perusiae die
SS. Perpetuæ ac Felicitatis, nimirum 7
Martii.

Sæcul. XIII.

A.C. 1265.

Teb lanc.

mon. p. 190.

Ff 2

§. XXXV.

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

§. XXXV.

Regnum Siculum Carolo Andegavensi tribuitur.

*Spic. to. 9.
p. 207.*

p. 214.

p. 224.

p. 237.

n. 21.

n. 22.

Papa Clemens ad Siciliæ negotium quippe Aulam Romanam summo-
re urgens converfis curis primariis 26
Febr. 1265 duo edidit diplomata. In
primo refert hujus regni concessionem ab
Alexandro IV. factam Edmundo alteri
Regis Anglorum filio, & ab Innocentio
IV. confirmatam; conatus a Sacra Sede
eam perficiendam adhibitos; omiffiam a
patre ac filio executionem; denique ab
Urbano IV. interrogatos, an illud etiam-
num postularent. Quibus de caufis hanc
concessionem retractat, & abolet, Eccle-
fiam Romanam de regno Siculo statuen-
di libertatem plenam habere afferens. Per
alterum diploma Carolo Andegaviæ ac
Provinciae Comiti hoc regnum tribuit iis
conditionibus, quas ibi fufe exprimit, &
quarum major pars ad temporalem fo-
lummodo statum pertinent. En illas,
quæ ad Ecclefiam fpectant. Omnia bo-
na, feu moveri poffint, feu nequeant, Ec-
clefiis, vel hominibus facris ablata eis re-
ftituentur in cunctis locis, prout horum
poffeffionem Rex novus occupaverit. Ec-
clefiarum Cathedralium electiones alia-
que

liæque, prorsus erunt liberæ, nec ante vel post eas consensum Regis petere opus erit. Ecclesiastica jurisdictio integra conservabitur ita, ut ad Apostolicam Sedem appellare liceat. Rex universas Friderici, Conradi, Manfredi leges ecclesiasticæ libertati contrarias retexit. Nullus Clericus ad Judicem profanum vocabitur, nec ad tributa vel pensiones adiget. Rex in Ecclesias vacuas nec regium nec aliud jus habebit, nullumque inde fructum percipiet. Viri nobiles, cæterique incolæ regni eadem libertate iisdemque privilegiis fruuntur, quibus sub Guilielmo secundo Siculorum Rege gaudebant. Cum Papa sexdecim Cardinales duobus his diplomatibus subscripsere.

Postquam Legatus Simon Briensis Cardinalis S. Cæcilie pro tradita sibi potestate cum Carolo pactionem confecerat, is Princeps hanc exequi minime cunctabatur: sed celebrato cum Rege fratre suo Paschate, quod hoc anno 1265 in quintum Aprilis incidit, Parisiis Massiliam profectus, hic mille cum equitibus naves adiit, elusisque cautionibus, quas Manfredus ad præcludendum ipsi transitum terra marique adhibuerat, die Mercurii ante Pentecosten 20 Maji Ostiam & pridie festi Romam prospere advenit. Romani eum anno priore, ut ipsos a Manfredo defenderet, urbis Senatorem, hoc est, prima-

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

25.

26.

27.

p. 224.

Ric. Malesp.

c. 177.

Duchesne

p. 374.

Mon. Pad.

p. 620.

Rayn. 1265.

n. 53.

Duchesne

p. 831.

Rayn. 1264.

n. 3. 4. &c.

Spicil.

p. 215.

Sæcul. XIII.
A.C. 1265.

p. 243.

Rayn. n. 12.

n. 13. 20.

n. 26. 27.

rium Magistratum creaverant consentientem: ac prope abfuerat, ut pactum de regno Siculo rumperetur. Nam Papa se legitimum Romæ Dominum cogitans non permittendum censuit, ut tantus Princeps ibi tantam auctoritatem præsertim per omnem vitam suam, sicut Romani voluerant, haberet. Adhibita est talis moderatio, ut Senator in triennium fieret.

Itaque Romam delatus, ibi summa lætitia maximisque honoribus excipiebatur. Sed quod suorum aliquos in Lateranense palatium induxisset, Papa moleste tulit, metuens, ne senatoriam ille auctoritatem suam nimium extenderet. Cum vero idem haud ægre paruisset, Papa continenter Perusiæ agens quatuor Cardinales Romam misit, qui ejus jussu Carolo per vexillum Siciliam possidendam tradidere ante aram templi Lateranensis 29 Maji. Rex novus, per annum reliquum nihil magni præstitit exercitum expectans suum terrestri venientem itinere, e cruce signatis compositum, Clerique Gallici decimis conductum. Nam Cardinalis S. Cæciliæ ad sacram militiam contra Manfredum & Nucерianos Saracenos Christianis validos in templis stimulos admoveri curans, quotquot eo fine capiebant crucem, a votis pro recuperanda Palæstina vel Constantinopoli susceptis absoluebat, quoniam Papa negotium Apuliæ judi-

judicabat urgentius. Guido Mellotius Sæcul. XIII. A C. 1265.
 Episcopus Antifiodorensis inter hujus ex- Duchesne p. 834.
 peditionis principes viros primus nume-
 ratur: sed & disertum consilii authorem
 in Papa habuerat.

§. XXXVI.

Ecclesia Hispanica.

Sacræ ubivis terrarum expeditiones e- Mariana l. 13. c. 25.
 rant, in Hispania, in Gallia, in Hun-
 garia, in Anglia. Maurorum Reguli
 Granatensis & Murcianus, ut se ditioni
 Castellæ Regis, cui tributa pendebant,
 subducerent, Mauros ex Africa vocave-
 rant, qui magna classe suppetias profecti
 magnas fecere vastationes. Jacobus Ar-
 ragoniæ Rex obsistere illis statuit tam re-
 gnum, quam generum suum Alphonsum
 Castellæ Regem defensurus. Idcirco
 suum tesserariæ crucis induendi proposi-
 tum Papæ Clementi significavit, qui hac
 super re Archiepiscopo Tarraconensi ac Rayn. n. 32.
 Episcopo Valentino scripsit, mandans, ut
 in regno Arragonico, Valentinoque, in
 Balearium Majore insula, in provincia
 Tarraconensi atque in omnibus terris Ar-
 ragoniæ Regi obnoxiiis sacram commen-
 darent militiam cum indulgentiis privile-
 giisque Cruce signatorum ordinariis. Da-
 bat 23 Maji an. 1265.

Sæcul XIII.
A.C. 1265.

n. 31.

Ad sustinendos hujus belli sumptus Rex Arragoniæ a Papa petebat copiam colligendi pecunias ex Ecclesiis, quæ de vexationibus illius eodem tempore conquerebantur. Papa respondit hunc in modum. Si vellemus ordinem jurisobservare, Ecclesiæ in terris tuis nullum tibi ferre subsidium deberent, donec ipsis sua tribuisses. Sed generosum animum indulgentia capi considerantes, te ad has Ecclesias amandas arctius adstringi credimus, si tibi auxilio sint eo tempore, quo detractionem per causam tam honestam excusare possent. Igitur eas libertate frui patere, quam eis jus dedit, & antecessorum exemplo prius ipse conservasti: alioqui magis spectaremus, quid expediret ad salutem tuam, quam quid genio tuo arrideret. Nam quocumque in statu fuimus, nobis charos semper ita tractavimus, ut eis utilia, quam suavia, & molesta, quam noxia dicere mallems. Dabat Perusiæ 13 Augusti.

n. 36.

Etiam Castellæ Clerus de Rege Alphonso querebatur, quod centesima proventuum sacrorum parte sibi a Pontifice Maximo propter hoc bellum concessa haud contentus, insuper tertiam reparandis templis destinata caperet. Papa Hispalensi Archiepiscopo injunxit, ut hoc illi exprobrans memoraret, non esse sapientis exponere se belli periculis, & sua cum

cum conscientia bellum gerere. Idem ^{Sæcul.XIII.}
 iussus erat Castellæ populos ad arma sa- ^{A.C.1265.}
 cra fumenda cohortari.

§. XXXVII.

*Sacræ Crucis exercitus in Gallia,
 Hungaria & Anglia.*

In Francia præter expeditionem Apulia-
 nam contra Manfredum, etiam pro ter-
 ra sacra bellum identidem suadebatur, ad
 quod Papa eo vehementius stimulabat,
 quia tristes nuncios de Bondocdari Ægy-
 ptii Sultani progressibus acceperat. Is ^{Sanut.p.222}
 anno priore Cæsaream Palæstinæ suba-
 ctam everterat: & hoc anno ultima Apri-
 lis castrum Arsuvium expugnavit; nona-
 ginta Hospitalarii capti, cæsive, & qui in
 arce fuerant numero mille circiter in vin-
 culis Babylonem, sive Cairum ducti. Tum
 Bondocdar ad obsidendam Ptolemaidem
 se præparabat solum locum munitum, qui
 restaret Christianis, & hoc sine classem
 armaverat. Papa hæc damna per epi- ^{Rayn.n.37.}
 stolas Patriarchæ Hierosolymitani & pri-
 morum ejus regionis Christianorum com-
 perit: quibus 25 Augusti respondens so- ^{n.41.42.}
 latia & animos addebat per promissum
 subsidii præsertim e Gallia. Id accelera- ^{n.43.}
 turus urgentes scripsit epistolas S.Ludo- ^{Id.1266.73.}
 vico, fratri ejus Alphonso Pictavii Comi-
 ti,

Sæcul. XIII. ti, ac Theobaldo Navarræ Regi, atque
A.C. 1265. hanc expeditionem populis inculcandam
 Prædicatorum Ordinis per Franciam Ma-
 gistro Provinciali, & Fratrum Minorum in
 Gallia Ministris injunxit.

Id. 1265.
n. 49.

Templarii disciplinæ impatientes etiam rebus Terræ sanctæ nocebant. Sisæus eorum Magister Papæ Urbano a quo exauthoratus erat, in faciem obstiterat, summos Pontifices haud consuevisse ipsorum Ordinis negotiis se immiscere perhibens. Quamobrem sacro fulmine percussus est: & Papa Clemens Templariis ingratos erga S. Sedem animos, quæ tot privilegia Episcopis ipsis noxia eis contulisset, per litteras graviter exprobravit.

Hungari ad signa sacra contra Tartaros vocabantur. Cum Rex Bela comperisset, eos Christianas regiones regno suo ac Poloniæ finitimas aggredi velle, se obfistendo imparem videns, per nuncium Papam oravit, ut ipsi obtineret auxilium. Clemens Archiepiscopis Strigoniensi & Colociensi scripsit, ut in Hungaria, Bohemia, Polonia, Stiria, Austria, Carinthia, & in provincia Brandeburgica bellum sacrum contra Tartaros e templorum pulpitis suaderi curarent, salvo tamen subsidio Equitibus Teutonicis, cæterisque Livoniæ, Borussiæ atque Curoniæ Christianis ferendo. Dabat 25 Junii an. 1265. Ita his in provinciis tres simul exercitus sacri

n. 42.

facri conscribentur: nam Papa etiam expeditionem pro terra sacra Octocarum Bohemiae Regi, Ottoni Marchioni Brandenburgico, Saxoniae, Bavariae, ac Brunsvici Ducibus commendaverat.

Angliae milites sacri ibant in rebelles, quos ducebat Simon Montfortius Lecestriae Comes, filius Simonis, qui Albigenses tantopere impugnaverat. Barones seditiosi arbitrariae S. Ludovici sententiae renuentes obsequi, redintegrato bello prope Lesuam 14 Maji an. 1264. pugnam subibant, habentes candidas cruces humeris annexas, ut se pro justitia dimicare ostenderent. Gualterius Chantelupius Episcopus Vigornensis a noxis absolvit copias in poenam eis injungens, ut fortiter certarent, iisque pugilibus, qui tam bona pro causa occumberent, paradisum promittens. Barones praelio superiores Regem Angliae ac Regem Romanorum ejus fratrem captos abduxere. Papa Clemens tum Legatus in Angliam destinatus erat, cujus ingressum Procerum factio impedierat: ea de causa ille in hujus regni negotia se singulariter interponebat.

Idcirco Legatum eo misit Ottobonum Fiescum Papae Innocentii IV. nepotem, Cardinalem Diaconum tit. S. Adriani reconciliandis cum Rege Proceribus daturum operam: & illi copiam fecit juramenta

Saecul. XIII.
A.C. 1265.

M. Paris.
1264.

p. 872.

M. Westm.

p. 386.

Rayn. 1263.
n. 61.

Sæcul. XIII. **A. C. 1265.** Optimates ad officium erga Regem per censuras adigendi, atque, si opus esset, in Anglia & Germania exhortationes ad bellum sacrum contra obstinatiorem rebellium numerum procurandi. Mandabat 4 Maji an. 1265. Ottobonus in rubro amictu suo delatus in Angliam concilio in templum Westmonasteriense congregato expositis Papæ jussis vi potestatis suæ in Regis adversarios sententiæ fulmen emisit. Papa jam die cœnæ Domini censuras eis irrogatas confirmaverat.

Matth. Westm. p. 397.

Rayn. n. 70.

72. 73.

Matth. West.

p. 390.

M. Paris.

p. 856.

M. Westm.

p. 397.

Trivel. t. 8.

Spicil.

p. 617.

to. II. conc.

p. 857.

Sed eodem anno mutata est rerum facies: nam 3 Augusti prope Eveshamum altero commisso prælio Simon Montfortius cecidit. Privabatur sepultura ecclesiastica, quia proscripius interit. Ejus tamen factio perhibebat, ipsum post mortem plura patrasse miracula, solumque Regis metum obstitisse, ne illa divulgarentur. Tum Legatus convocato Northantoniam concilio jussu Papæ anathemate percussit omnes Episcopos Clericosque Simonis Montfortii contra Regem adjutores, fautoresque; nominatim Henricum Episcopum Londinensem, Joannem Vinconiensensem, Gualterium Vigornensem, ac Stephanum Cicefriensem, rebellium Patronos, quibus ad summam Sedem provocantibus, trimestre spatium dedit,

dedit, ut se Papæ sisterent, quem proin Sæcul.XIII.
 adierunt. Benedictus Episcopus Lin- A. C. 1265.
 colniensis, qui etiam partium illarum
 fuerat, post longum tempus gratiam im-
 petravit: Gualterius Episcopus Vigornen-
 sis in mortis Articulo constitutus, ad
 Legatum litteras dedit, & agnito errore
 absolutus 5. Febr. an. 1267. spiritum e-
 didit. Eodem in concilio Northantonia- *Goduin. p.*
 no Anglorum Regi decimæ in septem *519.*
 annos concessæ sunt.

§. XXXVIII.

*S. Bonaventura Archiepiscopatum
Eboracensem abnuvit.*

Ecclesia Eboracensis vacabat ab initio
 anni 1264. Godefrido Kiintonio sub
 festum Epiphaniæ diem mortuo. Colle-
 gium primo elegit Guilielmum Langeto-
 nium Decanum suum, qui Romam pe-
 tiit, ut electio rata haberetur. Sed Pa- *Id. p. 49. Va-*
 pa eam non reputans canonicam infir- *ding. 1265.*
 mavit, illique sedi tum quidem ipse pro- *n. 14. Rayn.*
 vidit, S. Bonaventuræ Ord. Minorum *n. 74.*
 Ministro generali eam destinans. Hanc
 ad optionem eum impulit tam viri meri-
 tum singulare, quam status Angliæ. Spe-
 ctabat in illo puritatem morum, asperita-
 tem vitæ, præstantiam eruditionis, pru-
 dentiam, gravitatem, diuturnum Ordinis
 regimen magnopere approbatum, denique
 peritiam

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

peritiam demerendi omnium studia, & regularem observantiam conservandi. Ex parte Angliæ considerabat pravitates per bellum civile etiam in Ecclesiam introductas, ac hominis extraordinariæ necessitatem ad instaurandam inibi disciplinam. Igitur implorato Dei auxilio, ac deliberatione cum Cardinalibus inita Bonaventuram Sedi Eboracensi statuit imponere, eumque sequi vocantem Deum per sacram obedientiam iussit: ita loquitur in litteris 24. Nov. 1265. datis. At vir sanctus Papam adiit, & tam belle rem suam egit, ut consensum in hoc munus evitaret. Quo renuente id accepit Gualterius Giffardus Bathoniensis Episcopus, antea sacelli Pontificii Præfectus & Canonicus Veliensis, thesauri Custos, postea tabularii sanctioris Præses in Anglia. Sedem Bathoniensem biennio tenuerat, cum ad Eboracensem a Papa translatus est.

Goduin. p.
425.

§. XXXIX.

S. Thomas Aquinas recusat fieri Archiepiscopus Neapolitanus.

Simili modo S. Thomas Aquinas plures dignitates sacras pinguesque proventus renuit a Papa Clemente sibi oblatos: Is enim hunc sanctum Doctorem singulari amore prosequens, ejus parentum ob-

Vita ap.
Boll. to. 6.
p. 673.

vexa-

vexationem Imperatoris Friderici exulanti-
tium inopumque rationem habebat.

Sæcul.XIII.

A.C.1265.

Thomas etiam abnuitt Archiepiscopatum
Neapolitanum, quem ipsi Papa per litte-
ras, quæ non amplius habentur, contu-
lerat, & cui reditus cœnobii S. Petri *Ad*
Ughel. to.6.

Tom. Luc.
ap. Echard.
p. 263. V.

Ad Ughel. to.6.
p. 171.

aram junxerat. Hanc, inquam, digni-
tatem recusavit S. Doctor, Papamque,
ut ne alia deinceps ipsi tribueret, oravit,
Ordinis sui paupertatem ac demissionem
colere desiderans.

Hoc sub Pontifice Maximo S. Tho-
mas suam Summam Theologiæ scripsit,
quam in tres divisit partes. Primam vo-
cavit naturalem, in qua Dei rerumque
creatarum naturam tractat. Secundam,
quam moralem dixit, in duas partes di-
stribuit. In prima secundæ de generali-
bus morum principiis agit: in secunda
secundæ virtutes ac vitia sigillatim exa-
minat. In tertia totius operis parte de
natura divina humanæ juncta, & de Sa-
cramentis differit. Sub Clemente IV. &
inter diuturnam Apostolicæ Sedis vaca-
tionem, quæ Pontificatum ejus secuta
est, Thomas hoc opus composuit, postea
in scholis pro perfectissimo Theologiæ cor-
pore habitum tam ob doctrinam solidam,
quam ob methodum.

Tolom.

Sæcul. XIII.

A. C. 1265.

§. XL.

*Ecclesia Salisburgensis.**Sup. lib. 34.
p. 48.*

Eccliam Salisburgensem per octo annos turbabat seditio Archiepiscopi Philippi, qui quanquam an. 1257. a Papa exauthoratus, armorum vi se tuebatur, successorem suum Udalricum ab ad-eunda possessione impediens. Post sex annorum bellum Collegium Salisburgense, quia Udalricus ipse se defendere non poterat, per interpositionem Bohemice Regis, & Carinthiæ Ducis de pace cum

*Canif. to. 6.
p. 1267.*

Philippo egit an. 1261. & anno sequente Udalricum ex Italia reducem Episcopus Scyllacensis proscripsit, quem Papa cum eo miserat Ecclesiam Salisburgensem in ordinem redigendi gratia. Anathematis per totam dioecesim denunciati causa fuit, quod Udalricus pecuniam Romanæ curiæ promissam non penderet. Philippus An. 1263. Salisburgo pulsus, & Udalricus anno proximo eam urbem ingressus est. At postquam ibi quatuor menses duxerat, ob impatientem disciplinæ populum se auctoritatem suam tuendo imparem videns, præterquam quod provecæ jam ætatis esset, urbe relicta Romanam in Aulam abdicationem suam

suam misit, cujus effectum Papæ Urbani obitus suspendit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

Interea sedem Passaviensem vacuum reddidit 10. Aprilis An. 1265. decedens de vita Episcopus Otto, piissimus Præsul, ac verus Cleri sui pater, minime belli sed pacis amans, & qui Ecclesiæ suæ magna comparavit bona. In ejus successorem Canonici postularunt Uladislauum Poloniæ Ducem, id est, ex horum Principum familia ortum, Ecclesiæ Visegradanæ Præpositum, Papamque, ut postulationem haberet ratam, orarunt. Clemens, qui multum boni de Uladislao dici audierat, quid subesset, experiendi cupidus, eum ad se vocavit: & merita viri agnoscens Sedi Salisburgensi aptiorem censuit, de qua sicut de Passaviensi voluerat ipse statuere. Illam proin Uladislao, hanc Petro Uratislaviensi Canonico, qui ejus præceptor fuerat, assignavit. Diploma utrique mense Novembri an. 1265. misit. Salisburgum anno sequente ambo delati honorifice ibi excepti sunt. Sed Archiepiscopus anno demum 1267. die Pentecostes consecratus triennio post morti occubuit.

Stero. 1265.
to II. Conc.
p. 833.

Sæcul. XIII.
A.C. 1265.

§. XLI.

Ecclesia Danica.

Per annos decem Ecclesiam Danicam obturbabat diffidium inter Regem ac Episcopos. Jacobus Erlandi filius metropolitane Ecclesie Lundensis Præpositus a Rege Erico quinto ad concilium Lugdunense an. 1245. cum Petro Archidiacono Arhusino missus ibi Papæ Innocentii IV. favorem sua eruditione morumque suorum suavitate sibi conciliaverat. Posthæc Nicolaus Stigothus Episcopus Roschildianus, cum in Regis offensionem incurrisset, in Norvegiam, & inde in Galliam profectus, Clara Valle se abdidit, ibique de medio excessit an. 1248. Jacobus Erlandus ei Roschildiæ successit: unde post biennium Lundam in locum Archiepiscopi Uffonis an. 1252. mortui translatus nepotem suum Petrum Bangium Roschildiæ successorem habuit. Itaque postquam in Archiepiscopum an. 1254. electus fuerat, confirmatione Papæ, cujus erga se gratiam foverat, contentus Regis Christophori tum regnantis consensum petere omisit.

Hic Princeps ea re novisque sanctionibus, quas Archiepiscopus pro sua Ecclesia ipso rursus inconsulto fecerat, jam offensus, haud paulo molestius ferebat con-

Pontan. hist.
Dan. l. 7. p.
328.

p. 329.
Hist. gent.
Dan.

Pont. p. 346.

p. 348.
Sup. lib. 84.
§. 40.

Sæcul. XIII.
A.C. 1265.

concilium ab eo Præsule absque suo permissu Vedeliæ habitum, in quo decretum de violentiis contra Episcopos exercitis, quarum suo loco memini, promulgatum fuit. Convocatis igitur generalibus nationis comitiis complures de Archiepiscopo querelas proposuit. Nihilominus in gratiam cum illo rediit an 1257. At post sex menses ob nobilem foeminam a Præsule proscriptam denuo excandescens, eum in aulam suam venire iussit. Comparuit Archiepiscopus; at in re spirituali non Regem a se, sed solum Papam agnosci Judicem affirmavit. Exasperatus animo Rex litteras edidit, per quas cuncta privilegia Lundano Archiepiscopo & universo ejus Clero a Regibus Daniæ collata revocabat. Hoc in diffidio plebs Archiepiscopi partibus susceptis clavas ferreas ligneasque pro armis gerens furentium instar huc illuc curfabat. Demum die S. Agathæ 5. Febr. an. 1259. Rex Christophorus Archiepiscopum comprehensum castro inclusit, ubi hic duos circiter annos captivus hæsit. Ille etiam Lundæ Archidiaconum Præpositumque ac Eschilum Ripensem Episcopum capi voluit. At Episcopus Roschildianus in Rugiam insulam perfugit, & Ottoniensis e regno abiit. Hi postremi duo Episcopi mox declararunt totam Daniæ incurrisse in interdictum

p. 349.

p. 352. 353.

G g 2

per

Sæul. XIII.
Ac. C. 1265.

p. 357.

per sanctionem Vedeliæ factam pronun-
ciatum, quod Papa Alexander IV. ra-
tum habuit, cum Episcopus Roschildia-
nus Archiepiscopi captivitatem ipsi con-
questus fuisset. Interdictum Lundæ, Ro-
schildiæ, Ottoniæque observabatur ali-
quamdiu; sed in Jutia non magni pon-
deris erat. Rex de promulgatione inter-
dicti Papam appellavit, Episcopos in cau-
sa ipsorum propria non esse Judices debe-
re causatus. Sed brevi post e corpore
migravit, successorem suum filium Eri-
cum VI. cognomine Glippingium decem
solummodo annos natum Reginæ Mar-
garitæ Sambiriæ maternis relinquentis
curis.

p. 358.

Interim Papa Alexander Episcopi
Roschildiani rogatu insulæ Rugiæ Prin-
cipi Jarmaro scripsit, ut Archiepiscopum
Lundanum in libertatem asserere cunctis
viribus conaretur. Jarmarus itaque fa-
cta in Selandiam insulam exscensione u-
niversis Episcoporum partibus auctus
præclara victoria, Hafniæque potiebatur
quinto post Pascha die 18. Aprilis an-
1259. Episcopus Roschildianus, ne ex
Reginæ partibus cæorum corpora in
cœmeterio humarentur, prohibens re-
petiit interdictum. Initio anni 1260. Re-
gina magnum celebrante conventum, in
quo parvulus Rex coronabatur, huic
Proceres ex diei opportunitate suadebant,
ut

ut Archiepiscopum Lundanum libertati ac diœcesi suæ redderet. At iste, antequam Papa ipsius causam dijudicasset, eo reverti noluit; & liberatus in Sueciam, cujus Primas erat, transiit: Reliqui Episcopi ineunte anno 1261. in diœceses rediere suas, & post eorum liberationem interdicti minor ratio habebatur.

Papæ Urbano IV. eodem anno in Apostolicam sedem evecto Rex Ericus legationem misit cum litteris, quibus eum, ut regnum ipsius ab Archiepiscopo Lundano liberaret, vehementer orabat, multas querimonias de isto movens, sicut etiam de duobus Episcopis Roschildiano & Ottoniensi tanquam belli nuper contracti authoribus. Cum post triennium novas conquerendi causas nactus querelas suas iterasset, Papa Urbanus paulo ante mortem suam Archiepiscopo Jacobo Erlando per epistolam suasit, ut sede Lundana ultro cederet plurium accusatus criminum, quæ Papa credere videbatur. Sed postquam huic Clemens IV. anno 1265. successerat, eum adiit Archiepiscopus; & probabiliter hujus precibus est adscribendum, quod novus Papa in Daniam Legatum miserit, nempe Guidonem Cardinalem Presbyterum tit. S. Laurentii in Lucina, prius Abbatem Cisterciensem. Mandatum seu litteræ

Sæcul. XIII.
A.C. 1265.

Sup. lib. 85.
§. 4.

p. 362.

Hist. gent.
Dan.

Rayn. 1265.
n. 51.

G g 3

Peru-

Sæcul. XIII. Perusiæ 8. Junii an. 1265. ei datæ con-
 A.C. 1266. tinent, eundem esse missum inter Regem

Hist. gent.
Dan.

Pont. p. 363.

Magn.
XIX. hist.
c. 20.

Daniæ, Reginam hujus matrem & quos-
 dam regni Præfules concitatas discordias
 extinguendi gratia. Legatio in Sueciam
 & in provincias Bremensem, Magdebur-
 gensem, Salisburgensem atque Gnesna-
 nam extenditur. Legatus sequente tan-
 dem anno 1266. delatus in Daniam ho-
 norifice pro dignitate sua ibi exceptus
 est. Audiendis partibus, nimirum Re-
 gi & adversariis ejus certum diem locum-
 que, scilicet Schlesvicum assignavit. At
 Rex ibi securum se non fore perhibens
 provocavit ad Papam. Tum Legatus
 Lubecam profectus tres Episcopos, Pe-
 trum Roschildianum, Esquilium Ripen-
 sem, Bunonemque Schlesvicensem &
 Archiepiscopum Jacobum Erlandum illic
 præsentem habuit, qui credibiliter cum
 Legato revererat. Hoc in concilio Lu-
 becensi Cardinalis Regem, Reginam e-
 jus matrem, eorumque affectas, & in
 his duos Episcopos Tychonem Arhusi-
 num & Joannem Burglavianum anathe-
 mate perculit, voluitque, ut id Episco-
 pus Lubecensis in diœcesi sua solenniter
 denunciari curaret. Eodem anno 1266.
 Legatus Sueciam petiit.

§. XLII.

*Manfredi mors.*Sæcul. XIII.
A.C. 1266.

Papa Clemens Perusiæ semper commo-
rans quinque Cardinalibus injunxit. *Instr. ap. Rayn. 1266: n. 2.*
ut Carolo Andegaviensi Regi Siciliæ ac
Reginæ Beatrici Provinciæ Principi ejus
conjugi Romæ solenni ritu coronas im-
ponerent. Hoc in mandato, quod 4.
Jan. 1266. dedit, vult salva manere jura
Ecclesiæ Panormitanæ, ubi hæc cere-
monia fieri consuevisset. Cardinales bi-
duo post, nimirum die Epiphaniæ in
templo S. Petri, cum ex Caroli ore ad-
strictioris fidei ac obsequii clientelaris
professionem Papæ nomine excepissent,
inunctum coronarunt magnopere plau-
dentibus Romanis. Primus horum quin-
que Cardinalium erat Radulphus (*) (*) de Chev-
Capreriis Episcopus Albanensis, quem *riores.*
Papa Legatum misit in Siciliam, ut edi-
cta expeditione sacra populos ad arma *Anon. Sicul. p. 869. Rayn. n. 7.*
contra Manfredum capienda impelleret.

Rex Carolus vix ulla mora interposi-
ta cum copiis ingressus regnum, Man-
fredianas prope Beneventum offendit. *Anon. p. 878 Duchesne p. 377. 847.*
Ibi pugna magna die Veneris 26. Febr.
commissa Gallis victoria plena cum ces-
sisset, Manfredus in acie cæsus Ecclesia-
sticæ sepulturæ honore tanquam proscri-
ptus caruit: & jussu Caroli sub acervo

G g 4

lapi-

Sæc. XIII. lapidum juxta viam regiam humatus est.
A. C. 1266. Galli Beneventum pontificiæ ditionis urbem expilarunt, quod Papa Regi Carolo exprobravit. Hæc victoria fractis Gibelinorum animis maximam Italiæ partem ad præstandam summo Pontifici obedientiam reduxit.

§. XLIII.

Synodus Coloniensis.

to. II. Conc.
p. 835.

c. 1.

In Germania, quæ jam per annos quindecim nullum habebat Imperatorem, grandis erat licentia, & in bona personasque Ecclesiasticas impune manus injiciebantur. Hoc liquet e synodo diocesana, quam Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis 10. Maji an. 1266. celebravit, & in qua decretum quadraginta quinque puncta continens consentiente Collegio suo & totius diœcesis Clero edidit. Ejus summam vide! Si constet Clericum percussum esse, author violentiæ nominatim denunciabitur ab Ecclesiæ communione seclusus, sicut ipso facto est; ac præterea, si sit Dominus loci, ubi crimen commissum est, hic locus interdicto afficietur. Si fontes sex mensibus proscripti manserint, eorum terræ, siquas habent, divinis erunt interdictæ: si nullas habeant, locorum, in quibus habitant, Domini monebuntur, ut eos
ad

ad efflagitandam absolutionem ipsorum bona occupando vel alia ratione adigant.

Si Domini hoc negligent, ipsi proscribentur, & post anni spatium nulla in eorum terris divina fient. Eædem poenæ ex proportionis norma decernuntur in eos, qui templa, coenobia, vel ædificia eis obnoxia incendunt, aut effringunt; in illos, qui Ecclesiarum immunitates libertatesque violant; qui earum bona, speciatim decimas diripiunt, aut per nefas usurpant; qui bellum gerentes in earum prædiis terrisque habitant; qui de bonis Ecclesiasticorum seu viventium seu mortuorum statuere audent; qui eos iter terra vel navigio facientes tributa pendere cogunt; qui eos ad Iudices profanos trahunt; qui synodos dioecesanas, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ executionem impediunt. In his cunctis casibus anathemata & interdicta pronunciantur. Difficultas sita erat in modis urgendi eorum observationem. Idcirco postea statuitur, ut ii, qui anni spatio in anathemate hæserint, coram Synodis tanquam contemptores clavium Ecclesiæ, & quod consequitur, de hæresi suspecti accusentur, atque si opus fuerit, contra eos Magistratus civilis præsidium imploretur. Quod ad illos spectat, qui Clericos capiunt, & in carcere detinent, præter censuras decernitur, ut eorum liberi, fratres, fo-

G g 5

rores,

Sæcul.XIII.
A.C.1266.

c. 2.

c. 3.

c. 4. 5.

c. 7.

9. 10. 11. 14.

18.

38.

24. 25.

Sæcul. XIII.
A.C. 1266

rores, nepotes, neptesque usque ad tertium gradum ab ordinibus sacris, beneficiis, & ingressu Ordinum Religiosorum arceantur, ac prædia beneficiaria, quæ ab Ecclesia habent, ad eam redeant. Hujusmodi pœnas, ut legimus, Concilium Quintinopolitanum an. 1239. sanxit. Hæc Synodus pœnam in cognatos illorum, qui Clericos occiderint, vel mutilaverint, usque ad gradum quartum extendit.

Sup. lib. 81.
§. 30.
to. II. Conc.
p. 5 70.
c. 28. 29.

c. 31.

32.

36.

Quidam Clerici Clericis aliis similes inferebant violentias: id quod augebat offensionem profanorum hominum, Cleroque odium conflagabat. Post anathema anni spatio toleratum Synodus præcipit, ut Clericus reus cunctis beneficiis suis ipso facto privetur, eaque aliis intra mensem conferantur. Siquis Clericus alium ob litem carceri tradat, præter eandem pœnam mox causa cadet. Qui Optimatibus ob causas memoratas proscriptis a sacello sunt, intra mensis spatium suas abibunt domos, nisi persuadere illis possint, ut Ecclesiæ satisficiant. Hujus Synodi & illius temporis conciliorum decreta vitiorum tunc regnantium tristia potius testimonia erant quam remedia. Satius fuisset Cleri auctoritatem ac reverentiam instaurare per informationem, boni exempli vitam & patientiam.

§. XLIV.

§. XLIV.

Sæcul. XIII.

A. C. 1266.

*Joannes Curtiniacensis Remorum
Archiepiscopus.*

Postquam Archiepiscopus Remensis (*) de Beau-
Thomas (*) Bellomesius 17. Febr. mez.
an. 1262. e vita discesserat, illa sedes
quadriennio vacua competitores habebat *Marlot. to. 2.*
duos de se litigantes, Joannem Curtinia- *p. 553. 561.*
censem, ac Guilielmum Brajacensem Car-
dinalem Presbyterum tit. S. Marci.
Joannes quartus Roberti Curtiniaco-Con-
chani filius, Regis Ludovici Crassi ne-
pos quinque Ecclesiarum Cathedralium,
Remensis, Laudunensis, Parisinæ, Car-
nutanæ, & Aurelianensis Canonicus e-
rat: sicut fieri solebant minimi natu in
familiis illustribus, ut alicubi possent in
Episcopum eligi. Robertus Curtiniacen-
sis natu major Joannis frater Sedem Au-
relianensem ab anno 1259. tenebat.
Joannes in Archiepiscopum Remensem
electus est tempore Papæ Urbani IV.
cui Alphonfus Pictavii Comes illum tan-
quam cognatum suum commendavit, in-
stititque, ut litem inter duos electos bre-
vi dirimeret, ne tam celsa Remorum se-
des vacaret diutius.

Guilielmus illius æmulus Brajaci ad *Sup. §. 12.*
Sequanam in dioecesi Senonensi natus
Lauduni Decanum, ac Remis Archidia-
conum

Sæcul. XIII. conum agebat, cum eum Papa Urbanus
A.C. 1266. IV. Cardinalem Presbyterum tit. S. Mar-
Gall. Chr. ci creavit mense Majo anno 1262. Cle-
to. I. p. 527. mens IV. Joannis Curtiniacensis electio-
Duboulay p. ne mense Octobri an. 1266. confirmata,
372. Cardinali de S. Marco viva voce injun-
Prov. lib. xit, ut annonam sacram, quam Archie-
Gall. p. 368. piscopus Joannes in Ecclesia Remensi ha-
 beret, tanquam vacantem *in curia* cui-
 dam tribueret. Cum eam Cardinalis
 Joanni (*) Villario-Siccano contulisset,
 Papa id ratum habente, S. Ludovicus
 regio juri suo in vacua sacerdotia majora
 hoc fraudi esse querebatur. Ergo Papa
 offensionis tollendæ causa Dionysio ejus-
 dem Ecclesiæ Canonico præcepit, ut ac-
 cepta Joannis Villario-Siccani abdicatio-
 ne, novam ei collationem autoritate
 Pontificia faceret, eumque in possessio-
 nem mitteret. At simul Regi significa-
 vit, se nolle per eam rem ipsius juri ali-
 quid derogare. Scribebat 13. Sept.
 1267.

§. XLV.

Rex Arragoniæ reprehensus.

Rayn. n. 27. Jacobus Maurorum domitor Arragoniæ
 Rex a Papa Clemente sui cum Regi-
 na Theresia matrimonii dissolutionem pe-
 tebat, eam lepra infectam perhibens,
 volebatque nuptiis jungi Berengariæ,
 quam

quam diu jam fovebat. Papa respondit ^{Sæcul.XIII.}
 hunc in modum: Qua ratione Christi A.C.1266.
 Vicarius separabit, quos conjunxit Deus?
 Absit, ut ejus leges violemus hominibus
 placendi causa! Etiam si Regina non nu-
 pisset tibi, credere tamen non debuif-
 ses, nos tibi gratiam legis facturos esse,
 ut uxorem duceres hanc concubinam,
 quam spuriam fateris. Si quæras, quid
 tibi agendum sit, cum sine corporis tui
 periculo habitare cum Regina nequeas:
 responsio in promptu est: sustine, quam
 tibi Deus immisit, molestiam: nec illi,
 quæ maxime patitur, malum adscribe!
 Si cunctas orbis Reginas corripere le-
 pra, Regesque alteras ad nuptias proce-
 dendi copiam a nobis poscerent, omnes
 ac singuli repulsam ferrent, tametsi uni-
 versæ familiæ regiæ interirent. A Gal-
 lorum Rege, cujus amicitiam tibi para-
 sti, exemplum cape! provectam ætatem
 tuam respice! nec continentiae imparem
 te dicas! Deus haud præcipit, quod fie-
 ri non potest: sed fontes dicitant se non
 posse, quod reapse nolunt. Dabat 17.
 Febr. an. 1266.

Papa dein certior factus, Regem Ar-
 ragoniæ Mauris Murciam urbem ademif-
 se, hanc ei victoriam gratulabatur. Sed
 proh dolor! addebat, tantorum victor
 hostium libidini succumbens suæ pessimo
 exemplo in comitatu suo foeminam cir-
 cum-

Id. n. 25.

Sæcul. XIII.
A.C. 1266.

Rayn. n. 29.
Indic. Ar-
rag. p. 101.

cumducit, & adulterium incestu cumulare pergit. Considera, inevitabilem tibi vitæ finem imminere; ac nisi antea fordes tuas elueris, te non admissum iri in regnum nulli maculæ patens. Scribebat 5. Julii. Jacobus annos regiminis quinquaginta tres, ætatis sexaginta duos numerabat. Per aliam epistolam Papa eum ad Saracenos e terris sibi subditis pellendos stimulabat, quam periculosa ibi eorum commoratio secundum temporalia æque ac spiritualia esset, edocens. Quamvis mala consilia sua, inquit, ad tempus ob metum taceant, ardentem tamen ea detegendi occasionem quaerunt. Serpentem in sinu fovet, qui tales inimicos circa se retinet. Ob modicum emolumentum inde tibi proveniens minime ferendum est dedecus, sine quo nequies medius inter Christianos audire voces quotidie certis horis nomen Mahometis extollentium. Certe locum das suspitioni, te a juventute tua cum illis belligerantem magis tuum commodum peculiare, quam Religionis gloriam consecratum esse.

Rayn. 1267.
n. 33.

Aliquamdiu post Rex Arragoniæ Papæ indicavit, se Terræ sanctæ suppetias iturum. Papa reposuit: Christo non placet servitium hominis, a quo per incestum denuo cruci affigitur. Itaque Berengariam prorsus a te remove! Alioquin per

per censuras Ecclesiasticas eo te adige-
mus. Dabat 16. Jan. 1267. Rex quan-
quam his monitis offensus sacrum ta-
men postea bellum iniit; sed sine effe-
ctu.

Sæcul. XIII.

A.C. 1266.

Chr. Barc.
to. 10. Spi-
cil. p. 623.

§. XLVI.

Germanus Patriarchatum Constanti-
nopolitanum abdicat.

Constantinopolitanus Patriarcha Ger-
manus a principio Pontificatus sui
hominibus virtute aut doctrina claris di-
gnitates, dona, & omnia existimationis
favorisque specimina dedit, opum con-
temptor tantus, ut crumena carens al-
latas sibi pecunias omnes in storea, qua
pro lecto utebatur, poni juberet, quo
magis ad manum essent elargituro. Qui
eum non amabant, has bonas qualitates
in partem malam accipiebant. Ingenui-
tatem ejus negligentiam, observantiam,
indulgentiamque erga Imperatorem adu-
lationem ac imbecillitatem vocabant;
& illi, qui per ejus interpositionem non
obtinebant ea, quorum spem ipsis fece-
rat, sibi verba dari clamabant. Inimi-
cos autem habebat plurimos, tanquam
si perperam occupasset sedem Patriarchæ
Arsenii, & filiam cum matre, seu Adria-
nopolitanam Ecclesiam cum Constantino-
politana commutasset.

Pachym. IF.

6. 53.

Inter

Sæcul. XIII. Inter eos, quos ob ipsorum merita
 A.C. 1266. Patriarcha Germanus ad munera promo-
 vit, memoratur Manuel Holobolus æta-
 te florens, elegantis ingenii ac egregiæ
 lib. 3. c. 11. litteraturæ homo; sed qui in Imperato-
 ris Palæologi offensionem incurrerat si-
 gnificando magnum dolorem suum, eo
 quod juvenis Imperator Joannes Lafca-
 ris usu oculorum privatus esset. Palæo-
 logus ita ei succensuit, ut inventis aliis
 sub obtentibus nasum Holobolo & labra
 resecari juberet. Qui protinus in co-
 nobio Præcursoris se abdidit monastica
 lib. 4. c. 14. indutus veste. Patriarcha proin Germa-
 nus præclaras hominis dotes Ecclesiæ
 redditurus utiles Imperatorem ita est al-
 locutus.

Cum Georgius Acropolita magnus
 logotheta, qui tuo jussu litteras jam diu
 docet, huic labori par non sit amplius,
 successorem habeat oportet, qui potissi-
 mum Clericos erudiat. Itaque necessi-
 tati Ecclesiæ ac precibus hoc da meis,
 ut omissa contra Holobolum ira in locum
 Georgii eum sufficias! Mox annuit Im-
 perator, Constantinopolim pristinum in-
 splendorem restituere cupiens. Et hoc
 sine Scholarcham congruente instructum
 stipendio ad templum Apostolorum, &
 alium ad Blaquernanum misit. Præte-
 rea ad veterem S. Pauli domum hospita-
 lem pupillis destinatam grammaticæ scho-
 lam

lam instituit cum pensionibus annuis pro Magistro ac pueris. Eo ipso interdum ibat illos cognoscendi gratia, & quos progressus facerent, visurus, eisque præmia, quibus animarentur, aut missionem dabat. Sic Holobolus e monasterio egressus accepto per Patriarcham Germanum Rhetoris officio nemini non scholam aperuit suam.

Sæcul. XIII.
A. C. 1266.

Interea Imperator conspiracyem in vitam suam comperit: & Patriarcha Arsenius illius particeps fuisse dicebatur. Imperator præfervidus delato ad concilium Arsenii nomine, justitiam ab illo vehementer petiit. Concilium quatuor viros, qui causæ cognitionem caperent, ad Arsenium misit, duos Episcopos, Neocæsariensem ac Proconesum, duosque Clericos, Galienum (qui concilio a secretis erat) & Georgium Pachymerum, historiæ illius temporis scriptorem. Postquam 25 Julii Constantinopoli discesserant in Proconesum insulam delati Arsenio suum negotium exposuere. Ad prima verba dolore ac ira percitus, Quid mali, aiebat, Imperatori feci? Privatum inveni & ad imperatoriam dignitatem extuli: ille me Patriarcham invenit, & immerentem ignominia affecit: atque modo hac in solitudine infelix exul indies Christianorum charitatem expectare cogor. Nihilominus forte mea contentus

c. 15.

c. 16.

Hist. Eccles. Tom. XXI. Hh vivo:

Sæcul. XIII. vivo: atque Deus Patriarcham suum ad-
 A C. 1266. juvet!

Cum vero charta, ut legi posset, evol-
 veretur, Arsenius, quid contineret, aliun-
 de gnarus, illud impedire modis omnibus
 conabatur: & incepta lectione celerius
 æquo fugiebat. Tum a quatuorviris per
 vim detentus, pileum in aures occluden-
 das depressit. Demum exclamabat cœ-
 lum terramque appellans testes injuriæ
 sibi factæ illosque minime auditos sine
 responso remisisset, nisi divinam ipsi pœ-
 nam intentassent. Ergo agendi rationem,
 agebat, Patriarcha dignam tenui, Impera-
 tori necem machinans, ego, qui hoc in
 exilio Deum, ut ejus animæ parcat, oro,
 dum ille me fame sitique perimit. Ad-
 didit plures exprobrationes mistas male-
 dictis in Imperatorem ac Patriarcham
 Germanum conjectis; atque illos di-
 misit.

Decimo sexto Augusti Constantino-
 polim delati mox Patriarcham Germa-
 num, quomodo res evenerit, edoctum e-
 nixe orabant, ut, quidquid in ea molestum
 auditu foret, in relatione Imperatori a se
 facienda supprimeret. Germanus nego-
 tium tam bene gessit, ut Imperator Arse-
 nii purgationem acciperet, Siquid, in-
 quiens, de conspiratione comperit, con-
 juratos inde avertere, tacereque illam
 potius, quam detegere nobis voluisse vi-
 detur.

detur. Insuper Arsenii ærumnis com-
 motus Imperator ei protinus trecentos
 solidos aureos in pensionem annuam as-
 signavit, se hanc antea imperasse, sed Ar-
 senium eam admittere noluisse jurans:
 atque ne illam a proscripto recipere recu-
 saret, Imperatricis nomine ipsi eandem
 misit; non tam virum sublevandi gratia,
 quam sibi absolutionem paraturus quo-
 cunque demum labore obtinendam.

Sæcul.XIII.
 A.C.1266.

Du Cang.
 numism.

Cupiisset equidem a Patriarcha Ger-
 mano, universoque concilio absolvi: sed
 timebat, ne Germani absolutio haud le-
 gitima videretur populo hunc Præsulem
 contemnti tanquam a sede sua contra
 regulas translatum. Hanc diffidentiam
 Palæologo inspirabat Josephus Abbas
 cœnobii Galefiani, qui a Germano pro-
 pter ipsius translationem legibus contra-
 riam se disjunxerat. Imperator Abbatis
 hujus authoritate abreptus Germanum
 gradu movere statuit. Sed Patriarcha
 dignitatem suam sponte abdicaturus esse
 non videbatur, utpote de fama sua parum
 anxius. Igitur Imperator ei rem propo-
 ni voluit, ita tamen, ut nulla collusionis
 suspicio in se caderet: ac Josephus hanc
 suscepit provinciam. Qui ad Germanum
 velut amice, Non vides turbas, inquiebat,
 adversus te concitatas, quibus obsistere
 haud posses, etiamsi te Imperator defen-
 deret? At destituet te, cum schismatis

n. 17.

p. 173.

c. 18.

c. 19.

Hh 2

ma-

Sæcul. XIII
A. C. 1266.

magnitudinem intellexerit. Non cernis potentes horum illorumque partes? Nominabat simul multas magnæ authoritatis personas pro Arsenio stantes; inter alias Martham religiosam Imperatoris sororem. Hanc dignitatem belle deponere propera! nec expecta, dum invitus & cum dedecore id facias! Sed Germanus non probavit consilium de Imperatoris gratia securum se putans. Qui, quo magis eum falleret, nova favoris indicia illi dabat usque adeo, ut Dominica Palmarum magnam monetarum ex argento ac ære Cyprio copiam inter supplicationem publicam de more in vulgus spargendam eidem mitteret.

Pachym. l. 4.
c. 20.

Occultiore dein utens artificio curavit, ut Germano Chalazas scriberet Sacerdotis Archiepiscopus Arsenio palam infensus, cujus consecrationem quasi non legitimam rejecerat. Ille proin Germano, ut sede Patriarchali cederet, per litteras suavit, quas alter ad Imperatorem misit, huic diffidere incipiens. Reposuit iste: Satis occupor negotiis status me obruentibus. Chalazam in manibus habes, ut secundum canones eum punias. Age hac in re, quod faciendum censebis cum Episcopis! ego me haud interpono. Tum vero aperuit oculos Germanus, malamque illius voluntatem videns, munus exuere statuit mense Septembri an. 1266.

&

& festo sanctæ Crucis Exaltatæ die so-
 lenni ritu sacris operatus procedente no-
 ste domum, quam armamentario vicinam
 Constantinopoli habebat, se recepit. Po-
 stero mane Imperator re comperta cum
 Senatu, Episcopis, omnique Clero illuc
 delatus, & afflictum se simulans Præsu-
 lem, ut redeat, orat, per vim reductum
 iri asserit, nihilque omittit, ut indutam
 personam belle agat. Germanus & ipse
 animi sensa diffimulans Imperatori maxi-
 mas persolvit gratias; se confectum senio
 ac infirmum muneris abdicationem liben-
 ter scripto daturum dicit; illum ac præ-
 sentes Episcopos, ut eam accipiant, ro-
 gat; & simul eandem tradit, affirmans,
 se, quidquid accidat, Patriarchæ partes
 nunquam denuo suscepturum etiam si Im-
 perator ipsum eo vellet adigere.

Imperator, quod cupierat, manu te-
 nens, eum urgere destitit, & hoc ipsum
 amissæ consensus spei tribuit, omne, quod
 posset, honoris genus illi exhibere sta-
 tuens. Et primum quidem, ut de eli-
 gendo successore suam diceret sententiam,
 orabat: dein eum viva voce, scriptoque
 patrem appellabat suum: sicut Germanus
 ipsi primus novi Constantini nomen de-
 derat; quod omnes postea Imperatores
 Constantinopolitani gesserunt. Germa-
 nus reposuit: Deus digno de pastore pro-
 videbit Ecclesiæ suæ, atque in ministerio

Hh 3

eum

Sæcul. XIII.

A. C. 1266.

c. 2. Grego-
ras l. 4. c. 8.

Sæcul. XIII. eum adjuvabit. Ille a Deo electus pastor
A. C. 1266. Imperatoris pater, quod nomen est sane
 magnificum, melius dicitur. Advictum
 meum quod attinet, ejus curam commit-
 to illi, qui pullos corvorum alit: adhæc
 Ecclesia mea satis est dives, ut me cum
 Episcopo sustentet suo. Intelligebat Ec-
 clesiam Adrianopolitanam, cui suo in a-
 bitu præfici curaverat nepotem suum no-
 mine Barlaamum vel Basilium, hominem
 spiritualibus muniis suis parum intentum,
 sed ornatus, equorumque & armorum a-
 mantem, qui post cognati sui obitum a
 Concilio exauthoratus fuit.

§. XLVII.

*Josephus Patriarcha Constantinopo-
litanus.*

Pachym. 1.4. **Post** Germani discessum Imperator Mi-
c. 33. chaël Palæologus de cooptando no-
Gregor. 1.4. vo Patriarcha cum Episcopis deliberabat,
to. 8. ut si non jam aliquem destinasset animo.
 Idcirco, qui rerum statum ignorabant,
 varios proponebant viros: sed qui men-
 tem Principis perspiciebant, haud nomi-
 nabant alium, quam Josephum Abbatem
 Galefianum. Erat vir canitie sua vene-
 rabilis, virtuti deditus, & vitæ spiritua-
 lis gnarus, cujus exercitationibus longo
 tempore sese in quiete monastica exco-
 luerat.

luerat. Quanquam litteraturæ profanæ *Sæcul. XII.*
 prorsus experts, naturaque simplex & fa- *A. C. 1267.*
 cilis, urbana tamen morum ac sermonis
 elegantia non carebat. Nam olim ma- *Ducange*
 trimonio junctus in aula versatus fuerat *famil. p. 223.*
 munere lectoris fungens inter Clericos
 Principis Irenes, qua juvenis Imperator
 Joannes Lascaris sorore gaudebat. Li-
 beralis, candidus & quamvis monasticæ
 vitæ severitatem jam diu coleret, hilaris
 suavisque in congressu convivas amabat
 egentes præcipue, quin etiam delicata
 mensa excipiebat. *Pach. c. 24.*
 Electus est 28 Dec. anno secundum Græcos 6775, quem una
 cum indictione decima mense Septembri
 inchoaverant; secundum nos anno 1266:
 fuitque inauguratus prima die sequentis
 Januarii an. 1267; secundum Græcos eo-
 dem anno 6775. Debebat initiari per
 Panacam Archiepiscopum Heracleensem
 in Thracia pro veteri hujus Ecclesiæ præ-
 rogativa: sed quia is Præsul a Germano
 consecratus fuerat, Josephus non ab illo,
 sed a Gregorio Archiepiscopo Mitylenen-
 si, cujus consecratio nævo vacabat, initia-
 ri voluit.

Imperator Michaël, cui nihil magis
 quam sui absolutio ab anathemate in vo-
 tis erat, novo Patriarchæ mensem inte-
 grum, per quem de illa cum Episcopis
 consultaret, dedit, cunctis ejus petitioni-
 bus annuens, usque adeo, ut totum per

Sæcul. XIII.
A. C. 1267.

Imperium ejusdem mandata, ut sua, confici juberet. Reclusit carceres, multis fontibus pepercit, revocavit exules, invidiosos recepit in gratiam: eaque omnia Patriarchæ precibus permotus egit.

c. 15.

Secundo Februarii an. 1267 festo Hypapantes secundum Græcos (nos diem Purificationis dicimus) Patriarcha Josephus, postquam cunctis cum Episcopis totam noctem pervigilans in templo magnifice illustrato solenni ritu Psalmos cantaverat, divinum fecit sacrificium. Quo peracto Imperator Michaël cohorte prætoria, Senatu & Magistratibus stipatus ad portas sanctuarii, ubi Episcopi erant, se stitit; deductoque pileo imperatorio ad Patriarchæ pedes aperto capite prostratus veniam, quam poterat, ardentissime flagitavit, suum scelus clarissima voce confitens. Interea dum sic in pavimento jacebat, Patriarcha absolutionis formulam, in qua crimen contra juvenem Imperatorem commissum nominatim expressum erat, prehensam manibus ipse primum, dein singuli Episcopi distincte legebant, suam quisque absolutionem supplici, prout a quoque petebat, conferentes. Qui aderant, solvebantur in lacrymas, maxime Senatus. Tandem surrexit Imperator, & cœlesti dapere resectus, actis gratiis, coetuque salutato in palatium rediit. Juveni posthæc Principi, quidquid ei ad victum solatium-

latiumque opus esset, in ipsius carcere largiter præberi iussit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1267.

§. XLVIII.

Bondocdari progressus bellici.

Palæstinæ status indies fiebat deterior. Bondocdarus 1 Junii anno 1266 positus ad urbem Ptolemaidem castris, octo dies ibi moratus in otio, obsessam deinde arcem Saphetam 24 ejusdem mensis in deditioem accepit. Sed vesperi Ducem (Emirum vocabant) misit dicturum incolis, ut se Mahometanæ religioni addicerent: alioquin omnes necatum iri. Duo Fratres Minores Jacobus Ponienfis ac Jeremias per totam noctem eos tanta efficacitate animabant, ut statuerent pro Christo mori. Itaque contra pactioem fidem plures sexcentis jugulabantur, cruoris rivo per montem decurrente. Octo tantum a recta fide desciverant. Duo Fratres Minores, ac Prior Templariorum spoliati cute, dein verberati, postremo capite plexi sunt eodem loco, quo cæteri. Papa per epistolas Christianorum illam regionem incolentium rem edoctus responso suo duodecima Augusti dato solatia eis animosque per spem celeris auxilii attulit. Siciliæ negotio, inquit, feliciter absoluto erecti ad fiduciam Galli terræ sanctæ suppetias ire properant. In

Sannut. p. 222

Siffrid. an. 1266.

ap. Rayn. 1266. n. 45.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

Germania Comites Juliacensis & Luxemburgicus, Episcopus Leodiensis atque complures Proceres sacrae Crucis militiam inierunt. Hæc commendatur Anglis, magnumque ex iis subsidium speratur. Quid non facient, postquam hos tristes nuncios, quos illis misimus, acceperint?

n. 43.

Tum Papa Richardum Cardinalem de S. Angelo suum in Sicilia Legatum per litteras interrogavit, quid hac in re agere cogitaret Rex Carolus, quippe qui proximus esset, atque Palæstinæ velocius quam quisquam alius orbis Princeps posset succurrere? Dabat 19 Octobris: &

n. 42. 44.

vigesimo quinto ejusdem mensis suo in Anglia Legato Ottobono præcepit, ut ejus populis ad arma eodem fine capienda stimulos admoveri curaret.

§. XLIX.

*Altera S. Ludovici expeditio
sacra.*

Goffr.
Bellot. c. 37.
Duchesne
p. 461. p. 383.

Præ cunctis Principibus S. Ludovicus rem serio aggrediebatur. Ante aliquot annos statuerat sub vitæ suæ finem ad Dei gloriam moliri magnum aliquid arduumque, ac terræ sanctæ iterum subvenire. Tum coepit familiæ sumptus, quantum poterat, minuere magna omnium

mnium admiratione: nam propositum celabat suum, nec exequi properabat. Sibi tamen ipsi ne crederet, per hominem fidum Papam Clementem clam consuluit; qui primum consentire non ausus, post longam denique deliberationem illud approbavit.

Ergo Rex ad conventum Parisiis medio jejunii verni tempore an. 1267 celebrandum cunctos regni Præsules Proceresque convocavit, nemine rei causam sciente. Dies Jovis medio in jejunio erat vigesimus quartus Martii: ac postero die festo SS. Virginis ab Angelo salutata congregato coetu ac præsente Legato Rex de ineundo bello sacro nervose simul ac suaviter differebat. Cum Legatus idem suafisset, Rex crucem tenero cum affectu, dein tres filii ejus, Philippus, Joannes Tristanus, ac Petrus accipiebant: quartus, Robertus nomine, vix decem annorum erat. Proceres tum illi, quos Rex occulte jam animaverat, tum alii, quorum animos Deus hac occasione tetigerat, eodem die, sed postea plures crucem induerunt. Præcipui fuere Alphonfus Regis frater Pictavii ac Tolosæ Comes, Theobaldus Navarræ Rex & Campaniæ Comes, Regis gener, Robertus Artesiæ, Guido Flandriæ Comites, Joannes Britanniae Comitis filius.

§. L.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

Chr. Roton.
to. 1. bibl.
Lab. p. 378.
Joinville
p. 125.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

§. L.

Odo Rigaldus Archiepiscopus Rothomagensis.

Pomer.
p. 474.
Gall. Chr.
to. I. p. 587.

Pomp.
p. 438.
Gall. Chr.
to. I. p. 588.

Inter Præsules cum S. Ludovico tessera-
riam Crucem amplexos memoratur O-
do Rigaldus Archiepiscopus Rothoma-
gensis. Nobili ortus genere, cum Ordini
Minorum nomen dedisset, Parisiis Ale-
xandrum Alensem Magistrum habuit, ac
verbi divini præconio optimo successu o-
peram dedit. Postquam Archiepiscopus
Odo Clemens 5 Maji an. 1247 e vita di-
scesserat, Canonici Rothomagenses fra-
trem Odonem Rigaldum ob ipsius meri-
ta cooptarunt: & Papa Innocentius IV
electionem probavit. Odo Lugdunum,
ubi Papa erat, profectus, ibique consecra-
tus pallium pastorale accepit mense Mar-
tio an. 1248. Inde redux Rothomagum
intravit Dominica prima post Pascha 26
Aprilis. Hanc amplam diœcesim per vi-
ginti septem annos gubernans exempla
tam bona præbuit, ut vivendi regula vo-
cicaretur: recognoscendæ præsertim pro-
vinciæ se applicabat; neque tamen ne-
gligebat sua temporalia. Anno 1249 in
Angliam delatus certos proventus suæ
subtractos Ecclesiæ possidendos recepit.
An. 1255. Rex S. Ludovicus ei Pontæfia-
ni

ni Archidiaconatus collationem liberam, *Sæcul. XIII.*
 & an. 1262 arcem Gaillioniam per com- *A. C. 1267.*
 mutationem cessit.

Postquam cum Rege symbolicam cru- *Pom. p. 480.*
 cem Ponte Audomari diœcesis Lexovien- *Spicil. t. 9.*
 sis urbe eodem anno 1267, induerat, po- *p. 78.*
 stridie festum obitus S. Joannis Baptistæ, *to. XI. conc.*
 nempe 30 Augusti concilium provinciale *Pom. p. 2530*
 habuit: in quo fuit præceptum, ut Cle-
 rici, etiam conjugati, ab omni negotiatio-
 ne abstinerent: ut tonsi & Clericorum
 more vestiti incederent, alioquin Cleri-
 privilegiis non fruituri; ut ne Clerici &
 cruce signati Papæ vel Legatorum litte-
 ris in suum commodum abuterentur. Ar- *Joinville*
 chiepiscopus, postquam cum S. Ludovico *p. 125.*
 Tunetum petierat, secundo concilio Lug-
 dunensi sub Gregorio X interfuit, & an-
 no sequente 1275. 2 Julii e medio abiit.

§. LI.

Decimæ in Gallia.

Qui Regi S. Ludovico, ut copias in ex- *Rayn. 1267.*
 peditionem sacram educeret, au- *n. 49. 51.*
 thores fuerant, illos multi carpebant, eo *Joinv.*
 quod tam infirmo esset corpore, ut nec
 arma gestare, nec in equo diu sedere pos-
 set. Verum Papa Clemens eum præle-
 ferre crucem edoctus, per litteras ei su-
 scepium consilium gratulabatur, magnis
 hoc laudibus efferens: simulque scripsit
 Cardi-

Sæcul. XIII. Cardinali de S. Cæcilia Simoni Briensi
A. C. 1267. testatem confirmabat, ei legationem ad
 crucis exercitum, atque decimas in trien-
 nium Regi concessas pro hoc bello sacro
 e cunctis Galliæ proventibus ecclesiasti-
 cis colligendi curam injungens. Immu-
 nes tamen volebat trium Ordinum mili-
 tarium Equites, Hospitalarios scilicet,
 Templariosque ac Teutonicos cum viris
 ecclesiasticis cruce signatis, qui primo
 transitu proficiscerentur. Has epistolas
 dabat 5 Maji an. 1267. Clerus Gallicus
 his decimis fortiter repugnabat, habemus-
 que Remensis & cæterorum ejusdem
 provinciæ cathedralium collegiorum li-
 teras, in quibus fere iisdem utebantur
 rationibus, quas Petrus Blesensis contra
 decimam Saladiniã octoginta abhinc
 annis adduxerat. Clerus itaque noster
 conquerebatur de collectis variis, per quas
 Ecclesia Gallicana in servitutem redige-
 retur. Hierosolymæ jacturam maledi-
 ctioni in decimas conjectæ, ac Græcorum
 schisma exactionibus Aulæ Romanæ tri-
 buebat: improbabat denique censuras
 ecclesiasticas ad extorquendam hanc no-
 vam pensionem tam severe adhibitas.
 Oratores viva voce addebant, Clerum
 Gallicum anathemata sufferre, quamhuic
 Papæ mandato obedire malle, optime
 gnarum

Marlot. t. 2.

p. 559.

Sup. lib. 74.

§. 15.

Petr. Bl. ep.

112.

gnarum, exactiones non cessaturas esse, nisi eis submittere se desineret.

Sæcul.XIII.
A.C.1267.

Papa 24 Sept. 1267 respondit hunc in modum. Grandis temeritas est Christianorum contra ethnicos armorum eventus

Rayn.n.55.

infaustos decimarum collectioni adscribere; cum Deus sæpe permittat, ut res adversæ hominibus probis & immerentibus hac in vita accidant, tantum virtutem ut exerceant suam. Et negotii Siculi magna ex parte per decimarum summam promoti successum videtis prosperum. Schisma Græcorum Papa in Photium confert, qui revera ejus auctor primus habetur, cujus tempore nondum querimoniæ de Aulæ Romanæ exactionibus audiebantur. Sed vidimus

Spicil.to.13.

p. 211.

Sup.Lib.69.

§. 42.

to.XI.conc.

p. 318.

Sup.lib. 80.

§. 20.

sub medium seculum duodecimum Nechiten Archiepiscopum Nicomediensem inter schismatis causas Romanorum factum ac dominandi libidinem retulisse. Et Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in sua ad Papam Gregorium IX epistola expresse ait: Multi potentes vobis morem gererent, nisi pensionum indebitarum exactiones timerent.

Papa Clemens pergit: Singularis cultus divini gratia per plenam apostolicæ Sedis potestatem ad tempus imperato subsidio non est dandum servitutis tributique nomen: neque nobis adscribendæ veniunt censuræ, quas sibi accertunt illi, qui

qui

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

qui, quod debent, pertinaciter recusant solvere. Sed nec credite, nobis deesse facultatem puniendæ illorum contumaciæ, qui censuras insolenter spernunt. Beneficiis eos suis privare, obtinendis aliis inhabiles reddere, de dignitatum gradibus dejicere, ac exaugurare possumus, & mandata nostra Magistratibus profanis exequenda committere. Deberetis pudore emori, quod terræ sacræ ad summas angustias redactæ ferendum auxilium, cum ad hoc Rex vester ac tot Galliæ Proceres tam generosis animis se præparent, per oppositionem vestram retardetis, vos, quos illis præire ac exemplum præbere oportuisset. Finit imperando decimam, nullius eorum oppositionis ratione habita.

§. LII.

S. Ludovici pietas multiplex.

*Launoi de
Magd. p. 67.
Etc.
Tilm. t. 2.
p. 15.
Sup. lib. 83.
§. 48.*

Interea Rex S. Ludovicus Viceliacensem dioeceseos Augustodunensis abbatiam adiit, ubi S. Mariæ Magdalensæ reliquiarum translationi interfuit, quæ ibi haberi plura per secula credebantur: id quod indicat, illi haud penitus fuisse persuasum, eas Provinciæ antro Magdalensæ lacrymis consecrato inesse, quamvis ante tredecim annos illud inviserit. Translatio reliquiarum 20 Aprilis an. 1267 fiebat

bat, ut in argentea capsa ponerentur. *Sæcul. XIII.*
 Cum Rex ac itineris comes Legatus Si- *A.C. 1267.*
 mon Briensis illi actui adessent, uterque
 reliquiarum partes aliquas sibi retinuit,
 & translationis testimonium cum autho-
 ritate dedit.

Rex sanctus ad expeditionem sacram
 se præparabat continuando ordinaria suæ *Duchesne*
 pietatis exercitia, quæ hic censeo me- *to. 5. p. 456.*
 moranda secundum relationem Godesfri-
 di Bellolocensis, & Guilielmi Carnuten-
 sis fratrum Prædicatorum, quorum hic
 Regi a sacello, ille a confessionibus erat.
 Quotidie cunctis horariis precibus divi-
 nis & Marianis, cum canerentur, assiste-
 bat, quoties iter equo faciebat, eas cum
 sacelli præfecto recitare contentus. Sin-
 gulis item diebus officium novem lectio-
 num pro vita functis etiam feriis solen-
 nissimis dicebat. Fere quolibet die duo-
 bus sacris, sæpe tribus aut quatuor inter-
 erat. Perlibenter in templis ausculta-
 bat conciones, & quæ ipsi placebant, eas
 memoria complexus aliis repetere optime
 sciebat. Quosdam Proceres murmura-
 re audiens, quod tot sacrificiis & concio-
 nibus adesset, reposuit: Si alterum tan-
 tum temporis ludo tesserario, vel aucu-
 pio & venationi tribuerem, nemo me
 carperet.

Per aliquod tempus media nocte sur-
 gere consuevit, ut antelucanis psalmis in
Hist. Eccles. Tom. XXI. Ii sacello

Sæcul. XIII

A.C. 1267.

facello suo cantari solitis assisteret, atque post reditum ante lectum suum in quiete precandi spatium haberet. Nam si tunc quendam pietatis sensum, inquebat, mihi donat Deus, haud metuo, nequis me interpellat. Huic precationi tantumdem temporis impendebat, quantum in sacratio Psalmis matutinis dederat. Sed quoniam sua eum negotia mature lectum relinquere cogebant, hæque vigiliæ magnopere corpus ejus, præsertim caput debilitare poterant, prudentium virorum consiliis precibusque cedens matutinas cæterasque precationes suas in mane distulit. Interea dum officium canebatur, neminem se alloqui volebat nisi ob rem urgentem paucisque verbis. Quot diebus post cœnam suam ecclesiastici penultimam partem ultimam, quam Completorium vocant, & in fine peculiarem antiphonam SS. Virginis solenniter cantari curabat:

p. 488. tum in cubiculum redibat suum, quo veniens Sacerdos partes omnes, præcipue

p. 460. lectum aqua lustrali aspergebat. Cum apud quosdam Religiosos sub sacrificio ad illa Symboli apostolici verba: *Et homo factus est*, chorum demississimum inclinationem vidisset, hic ei mos adeo placuit, ut in suum facellum, multaque templa loco simplicis inclinationis genua flectendi consuetudinem induceret. Item quia quibusdam in monasteriis, cum per hebdo-

hebdomadem sacram Christi nostræ salutis causa cruciatus ac mortem passi historia ex quatuor Evangelistis legeretur, ad vocem: *Expiravit*, mos erat procumbere, & aliquamdiu precibus immorari, hoc ipsum imitatus est Ludovicus, & ab eo nobis ritus tam pii veniunt. Reduxit etiam consuetudinem sacrandi prius Sanctorum imagines, quam venerationi publicæ exponerentur.

Sæcul. XIII.

A.C. 1267.

p. 451.

Vini ciborumque abstinentia in eo magna fuit. Totum per annum die Veneris colebat jejunium; die Mercurii nullis carnibus vescabatur: etiam die Lunæ per aliquod tempus sibi eas interdixerat: sed ob sui corporis imbecillitatem id dissuadentibus paruit. Per jejunium venum ac per hebdomades Dominico adventui sacras diebus Veneris nec fructum, nec piscem comedebat ullum. Multa vinum aqua temperabat. Die redempti orbis memoria sacro, in pervigiis præcipuorum quatuor SS. Virginis festorum, & quibusdam aliis anni diebus pane ac frigida contentus erat. Quolibet die Veneris pro tribunali sacro animi maculas eluebat loco secretissimo in singulis domibus suis ad id negotium præparato. Cum pro more temporis hoc sine confidisset, si portam aut fenestram aliquam volebat clausam, propere surgens, ut Sacerdotis labori parceret, eam occlu-

p. 450.

p. 447.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

debat, inquit: Tu es Pater: ego sum filius. Post sacram confessionem semper ab arcano Iudice cædebatur quinque catenulis ferreis eburneæ capsulæ fundo annexis, quam in oculis e cingulo suo pendentibus portabat, similesque capsulas interdum suis liberis, & amicis singularibus tradebat. Duos habebat conscientiae suæ arbitros, Fratrem Minorem, ac Dominicanum, ut alteruter nunquam non ipsi præsto esset. Præter hos penitentiae administratos selectis quibusdam viris, ut, quidquid in ipso reprehensione dignum viderent, vel dici audirent, deposito metu fideliter indicarent, instabat, mira patientia & mansuetudine, quæ significabant, accipiens. Diebus Veneris per hebdomades adventu Dominico nobis religiosas, atque per vernalis jejunium & in pervigiliis Matris Virginæ cilicium gerebat: sed hoc sibi grave incommodum creare passus de consilio sui patris spiritualis denique omisit.

p. 467.

Vide, quomodo Parasceven quotannis transegerit! Postquam psalmis antelucanis media nocte inceptis astiterat, in conclave suum reversus cum Præfecto sacelli totum recitabat psalterium. Nec dein cubitum concessit, sed somno neutiquam capto sub ortum solis in humili vestitu nudis pedibus per vicus urbis, in qua morabatur, super filices ac lutum ince-

incedens sequente viro, qui stipem largiter cunctis erogabat pauperibus, adibat templa, ibique calidas fundebat preces. Vix domum fractis viribus redierat, cum sermonem de Christi cruciati-
 bus auscultavit. Tum aderat officio, quod solenniter fieri curabat. Ad crucis adorationem ut ventum erat, in vili amictu aperto capite nudisque pedibus surgens de loco suo non plantis, sed eminus jam positus humi genibus, se promovebat, succedentibus sibi liberis suis, inter signa tantæ demissionis, ut spectantes usque ad lacrymas commoverentur. Absoluta re divina accedebat ad mensulam, panemque & aquam sumebat suam. His modis hunc sanctum diem traducebat.

Sæcul XIII.
 A.C. 1267.

Die Cœnæ Domini pauperibus lavabat pedes, aliosque, ut idem facerent, admonebat, sicut Jonavillæ Dominus de se ipso testatur. Præterea sanctus Rex quovis sabbato trium inopum senum pedes abluebat: quibus deinde dabat pecuniam, & ad mensam ipse ministrabat. Quando ei per incommodam valetudinem suam hoc non licebat, per spiritua-
 lem Patrem suum præsentem stipis erogandæ curatore id fieri curabat. Illius elemosynæ erant immensæ: singulis diebus, ubicunque agebat, plures quam centum viginti egentes apud se pane,
 Li 3 vino,

Joiv. p. 6.

Duc. p. 4. 7.

p. 454.
 Joiv. p.

124.

Sæcul XIII. vino, & carnibus alebat. Augebatur
A.C 1267. eorum numerus in jejunio verno, Do-
 minici adventus memoriæ dicato tem-
 pore, cæterisque diebus majore religio-
 ne celebrari solitis. Rex suis sæpe ma-
 nibus illis hospitibus, & quidem in qui-
 busdam pervigiliis solennibus fervire du-
 centis solebat, antequam cibum caperet.
 Quotidie ad prandium coenamque tres
 egenos senes adhibebat, eisque dapes
 de mensa mittebat sua. Utriusque sexus
 cœnobiis inopia pressis, domibusque ho-
 spitalibus abunde largiebatur. Quotian-
 nis ineunte vere Dominicanis Franciscanisque
 Parisiensibus ex ærario suo cer-
 tam deferri summam jubebat, O quam
 bene, inquit, stips hæc impenditur
 tot Fratibus, qui hæc in monasteria a-
 vidissime veniunt sacras docendi litteras,
 ac perceptas totum per orbem ad
 Dei gloriam & animarum salutem spar-
 suri.

Multa cœnobia, ut Regiomontanum
Duch.p.473. Ordinis Cisterciensis, multas Fratrum
 Prædicatorum Minorumque domos in
 variis regni locis condidit. Nosocomii
 Parisiensis redditus majores fecit, Pontæ-
 sianum, Compendiense, ac Vernonia-
 num proventibus annuis instruxit, sicut
 etiam illas ædes Parisinas, in quas ho-
 mines cæcos trecentos & quinquaginta,
 inmo plures congregavit. Apud Virgi-
 nes

gines Deo sacras quam plurimas mulieres perditas, vel pudicitiae periculo expositas abdidit. Gnarus autem suorum quosdam de profusis in pauperes largitionibus suis murmurare, ad eos, Quia opus est, inquiebat, nonnunquam immoderatas impensas facere, Dei causa quam terrenae vanitatis gratia id agere malo, atque ita compensare sumptus nimios, qui pro rebus temporalibus evitari nequeunt. Haud omittebat tamen magnificentiam in ordinario familiae suae ornatu & in extraordinariis occasionibus curiarum regalium, summorum senatum, caeterorumque conventuum, ita, ut digniore pompa, quam ullus antecessorum, honoraretur.

Saecul. XIII.
A.C. 1267.

p. 455.

§. LIII.

Continuatio causae Mediolanensis.

Mediolanum ob detractionem recipiendi suum Archiepiscopum Ottonem Pro-Comitem per quatuor jam annos divinis interdictum erat. Hic tristis status magnam creabat molestiam Napo Turrio, qui in urbe praecipua pollebat authoritate. Quocirca mense Majo an. 1267. Romam Legatos misit supplicatum, ut illa censura tolleretur. Sed Papa non solum eis aures non praebuit, verum etiam, ne urbem intrarent, prohibe-

Sup. §. 6.
Corio p. 283.

Sigon. R.
Ital. p. 103.

Sæcul XIII.
A.C. 1267.

hiberi iussit. Ergo Regem Siciliae Carolum adiere. Is benigne acceptos comperita itineris causa Romam remisit, auxitque comitibus Legatis suis, qui publicum Papæ alloquium pro se ac Mediolanensibus impetrarunt. In confesso sanctiore, cui Archiepiscopus Otto intererat, Legationis Siculae Princeps præ omnibus loquebatur, Papam & Cardinales orans, ut benevole audirent Mediolanenses, qui summo Pontifici & Imperatoris hostibus semper addicti, Regi Carolo Ecclesiae obsequendi causa Italiam ingresso & copiis ejus necessaria subsidia cuncta subministrassent.

Cor. p. 287. Tum Legatus Mediolanensis hujusmodi verba fecit: Nisi statuissimus tuis, Sanctissime Pater, imperiis morem gerere, atque Apostolicæ Sedis dignitatem summa reverentia suspiceremus, rediissimus in patriam, quando nos remissas, bellique capeffendi gratia cum inimicis tuis foedera pangere studuissimus. In materiam postea intrans sic pergebat: Archiepiscopus Leo per tempus Pontificatus sui tantum rixas serere, ac Nobilium ordinem armare contra populum conabatur. Illo mortuo populus fiducia in Turriorum præsidio posita, Raymundum ex horum familia eligi Archiepiscopum curavit, hac ratione civium discordiam sublatum iri sperans. Sed ortis

tis litibus per partes debiles Franciscus Settalla cooptatus est Archiepiscopus. Tum Papa Urbanus antecessor tuus neutrius electionem approbans tertium ob crimina sua exulem delegit ex illorum numero, qui a longo tempore in patriæ ruinam conspirabant. Eundem in modum plura Legatus Mediolanensis magno impetu proferebat contra Ordinem Nobilium, ac præcipue adversus Ottonem, quem insuper de hæresi suspectum reddere volebat, conclusitque alium a Papa postcendendo Archiepiscopum.

Otto Pro-Comes vicissim sed moderatius dicebat. Extollebat Nobilium ordinis prærogativas & ingratos populi Mediolanensis animos, qui eum commota seditione vexatum e provincia exegisset. Præsertim Martinum Turrium his de malis reum arguebat, Tyrannum vocabat, & obitus Archiepiscopi Leonis causam fuisse perhibebat. Amplificabat indignitatem rei, ac insolentem Mediolanensium contumaciam, qua creatum a Papa ipso Archiepiscopum suum (de se loquebatur) armatis manibus repulissent. Denique illorum crudelitates tam vivis depingebat coloribus, ut assidentes ipsum interpellarent, earum horrorem ferendo impares; ac Turrios reddebat tam odiosos, ut Papa horum Legatos a sacro conventu protinus amandaret. Inita post-

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

p. 288.

p. 292.

Sæcul XIII. posthæc deliberatione statutum est, ut
A. C. 1267. Mediolanum divinis interdictum mane-
 ret, donec Papæ se submittens Ottonem
 in ipsius sedem reciperet. Tum Legati
 ad Pontificium revocati consilium, cum
 Papam & Cardinales graviter offensos
 cernerent, ne indignationem eorum au-
 gerent, se paratos exequi, quidquid Pa-
 pa præcepisset, asseruere: atque ita di-
 missi sunt. Verum Archiepiscopus Otto
 Legatos non nisi ob metum irati Papæ
 sic locutos esse, populum de iis conque-
 sturum, & Turrios ad solvendum hoc
 promissum ægre permotum iri videns ob-
 tinuit, ut Cardinalium quidam ipsum ad
 sedem Mediolanensem reducere jubere-
 tur. At mors Papam Clementem se-
 quente anno occupans hanc legationem
 fecit inutilem.

p. 296.
 Sigon. p.
 105.

§. LIV.

Schisma inter Græcos.

Schisma inter Græcos adeo ingravescer-
 bat, ut filius a patre, mater a filia,
 nurus a focu se disjungeret. Vagantium
 monachorum Hyacintho adhærentium
 numerus ingens Patriarchæ exulis partes
 suscipiebat: alii virtute sua celebres Ga-
 lesiano aliisque cœnobiis relictis vive-
 bant privatim, nec ullam cum Patriar-
 cha Josepho communionem sibi esse vo-
 lebant.

Pachym. IV.
 c. 28.

lebant. Accusabant eum, quod, postquam Arsenio fervide studere visus esset, hunc circumvenerit. Sed vituperium maximum erat, quod in anathema incurrerit ab Arsenio contortum in illum, qui Imperatorem ad confessionem reciperet: unde inferebant, illum tanquam intrusum & ab Ecclesiæ corpore segregatum non habuisse jus Imperatorem absolvendi.

Josephus desperans, eos per lenitatem ad officium posse redigi, auctoritatem Principis contra eos adhibere statuit: qui puniri eos voluit a Georgio Acropolita magno logotheta, homine gerendis rebus idoneo, sed æqui ac recti non admodum amante. Hic quibusdam per domos missis, qui monachos seditiosos caperent, istos ex equuleis suspendi, flagellis accipi, plagis lacerari curabat. Qui per virtutem suam existimationem summam collegerant, illos per forum publicum cum ignominia raptari jubebat, & falsis sub obtentibus acerbe habitos mittebat in exilium. Hæc agendi ratio magnam in Josephum indignationem commovebat, & qui eum cum antecessore Germano comparabant huic id laudis tribuebant, quod nemini unquam malefecisset, quidquid in eum dictum esset. Imperator ipse Germanum denuo venerari, patrem suum dicere, in

Sæcul. XIII.
A. C. 1267.

Sæcul. XIII. A.C. 1267
 consilium & ad magni ponderis negotia
 adhibere cœpit, atque pro aliis orantem
 benignis auribus eodem mense ac inter-
 dum eadem hebdomade sæpius excipie-
 bat.

lib. 5. c. 2. Interim Arsenitarum numerus cresce-
 bat, etiam inter illos, qui Arsenium nun-
 quam viderant. Rumor de Josepho a
 piorum consuetudine secluso dissipatus
 multorum animos adeo agitabat, ut mi-
 tigari nequirent, quamvis ille, quæ ab
 Imperatoris largitate acceperat, abunde
 spargeret. Idcirco, quæ Constantino-
 poli de se dicebantur, spernere decrevit.
 Sed in Anatolia quosdam eximie pro-
 bitatis homines suo agendi modo esse
 offensos audiens, illis se ipsum specta-
 dum offerendo meliora persuadere voluit.
 Itaque communicato cum Imperatore
 consilio in Anatoliam cum comitatu ap-
 paratuque magnifico profectus illos præ-
 stantes viros invisebat, quos inter virtute
 ac doctrina eminebat Nicephorus Blem-
 midas.

His dicebat, se ipsum ab Arsenio ste-
 re, eum pro Patriarcha habere, & que
 per conspirationem contra eum facta es-
 sent, nihili pendere: fuisse tamen opus
 ut aliquis locum ejus teneret, Eccle-
 siamque gubernaret. Quisnam vero
 addebat, hoc munus salubriter obiret,
 inda-

indagando præ reliquis par eram ob Prin- Sæcul. XIII.
cipis erga me favorem, ita, ut non mo- A.C. 1267.
do molestias, quæ Arsenii partibus acci-
dissent, avertere, sed etiam multis aliis
gratias impetrare possem bona Impera-
toris voluntate utens. Huic sermoni Jo-
sephus adungebat dona, quæ aliquos
ex his bonis eremitis, non autem Blem-
midam movebant. Erat enim verus
philosophus rebus terrenis omnino extri-
catus, quarum eventus omnes imper-
turbatus spectabat, ut si ejus anima a
corpore separata jam esset. Igitur res
in se ipsis sine hominum respectu consi-
derans, Arsenium læsum, Josephum
possessorem iniquum, sed utrimque nihil
novi esse videbat, attenta rerum huma-
narum solenni vicissitudine. Et vero tan-
tum aberat, ut Josepho blandiretur, ut se
adeunti nunquam obviam iret e cellula,
aut intranti assurgeret. Non tamen illum
spernebat; contra orabat, ut ipsius testa-
mentum confirmaret subscriptione sui no-
minis, & ab Imperatore ratum haberi
curaret, sicut fecit etiam, sed post Blem-
midæ mortem executioni datum non
est.

Sæcul. XIII.

A.C. 1267.

§. LV.

Papæ ad Palæologum epistola.

*Sup. §. 15.
Rayn. 1267.
n. 72.
Vading. c.
de n. 1.*

Imperator Michael Palæologus quædam puncta cum Simone Arvernienfi tribusque aliis Fratribus Ordinis Minorum an. 1263. a Papa Urbano IV. ad se missis ob reconciliandas Ecclesias confecta, simulque professionem fidei ad Papam Clementem deferri curaverat, qui eam ob quædam ibi omiffa, & ob errata aliqua non probabat. Quamobrem illi professionem fidei Ecclesiæ Latinæ mitti contentam litteris, in quibus asserit, Papam Urbanum merito fidem pro fundamento reconciliationis posuisse, atque his in materiis agendum candide, clareque loquendum esse. Professionem fidei orditur a mysteriis SS. Triadis naturæque divinæ cum humana conjunctæ. Postquam de unitate baptismatis, ac de particularibus flammis meminit, subjungit: Animæ a noxis omnino puræ mox admittuntur in cælum. Sed animæ illorum, qui peccato mortifero vel sola labe nativa infecti moriuntur, protinus descendunt ad inferos, dissimiles tamen pœnas daturæ. De loco infantium nullam hic mentionem facit.

Tum septem Sacramenta recenset, de Evcharistia dogma panis & vini in
Chri-

Christi corpus & sanguinem conversi, ac de matrimonio ad alteras, tertiasque ac ulteriores nuptias procedendi libertatem expresse memorans. Extollit primatum Papæ cum plenitudine potestatis, & copiam appellandi ad Sedem Apostolicam ex omni parte in causis Ecclesiasticis; agnoscens privilegia reliquarum Ecclesiarum sed tanquam a summa Sede emanantia. Deinde addit: Hanc fidem novo examini subicere non cogitamus. Idcirco eam simpliciter ac sine argumentis exponere contenti sumus. Sed statuimus ad te Nuncios mittere, quibus ad nos redeuntibus aliquos e doctissimis inter tuos adjungere poteris. Postremo spondet convocationem concilii, si ad confirmandam reconciliationem opus esse censeatur. Dabat 4. Martii an. 1267. eodemque die ac eundem in finem Constantinopolitano Patriarchæ Græco scripsit. Hoc ad negotium, quos promiserat, Nuncios ex Ordine Prædicatorum delegit: ut apparet ex litteris ad Hubertum quintum Ordinis Magistrum generalem 9. Jun. datis.

Interea Imperator Palæologus Papæ scripsit, tanquam Palæstinæ periculo, ac Regis Armeniæ damnis commotus; sed significabat se metuere, ne, si contra ethnicos iret, Latini terras ipsius invaderent, quæ tunc præsidio carerent.

Papa

ſæcul. XIII.
A. C. 1267.

Rayn. n. 81.

n. 66.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

Papa reposuit: Tuo te metu facile liberabis redeundo ad Ecclesiæ Romanæ sinum. Nec dicas, obedientiæ nobis debitæ detractionem non tibi vel populo tuo, sed Præsulibus atque Clero adscribendam esse! Scimus enim, te potestatem in eos nimiam usurpare. Dabat 17. Maji an. 1267.

Ducange
hist. C. P.
lib. 5. n. 49.

Latinorum timor, qui Palæologum inceserat, non fuit abs re. Nam eodem tempore Imperator Balduinus Viterbium, ubi Papa tunc erat, delatus eo præsentate cum Carolo Siciliae Rege pactioem conflavit, per quam hic Princeps spondebat, fore, ut illi ad recipiendum Imperium Constantinopolitanum intra sex annos bis mille equites suis subministraret sumptibus, & unius anni spatio sustentet. Vicissim Balduinus dominium directum Achajæ ac Moreæ ad Guillelmum Villarduinum pertinentium Carolo cedebat, ita, ut ambæ in posterum a solo regno Siculo nexu beneficiario penderent. Insuper Regi concedebat terras, quas Michael Epiri Despota filia suæ Helenæ Manfredi sponsæ in dotem dederat, & tertiam partem eorum, quæ memorati bis mille equites armis subigerent. Convenit etiam inter illos, ut Philippus Balduini filius, cui ad hæreditatem jus proximum esset, Beatricem Caroli filiam connubio sibi jungeret, atque, si sine li-

beris

beris decederent, jura ad Imperium Constantinopolitanum transfirent ad Carolum & successores ejus Reges Siciliae. Hæc pacta in conclavi pontificio 27 Maji an. 1267. confecta sunt. Ab eo tempore Rex Carolus Caninam in Epiro ad os sinus Adriatici, insulam Corcyram, & Principis Helenæ terras possidebat: sicque ad Imperium Romanicæ liberum habebat aditum.

Sæcul. XIII.
A. C. 1267.

§. LVI.

Concilium Viennæ in Austria habitum.

Jam duobus abhinc annis Papa Clemens in regiones Septentrionales Legatum miserat Guidonem ex Abbate Cisterciensi Cardinalem Presbyterum de S. Laurentio. Ejus potestas in Daniam, Sueciam, magnam Germaniæ, Poloniæque partem, nimirum in provincias ecclesiasticas Bremensem, Magdeburgensem, Salisburgensem, ac Gnesnam porrecta erat: ut patet ex litteris pontificiis 8 Junii anno 1265. ei traditis. Hic Legatus Viennæ Austriæ 10 Maji an. 1267. concilium celebravit, cui sex Episcopi, nempe Joannes Pragensis, Petrus Passaviensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisbonensis, Bruno Brixionensis, Amalarius Lavandomundanus in Carniola

Rayn. 1265.
n. 50.

t. II. Conc.
p. 858. ex
Sterone.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXI. K k cum

Secul. XII. cum plurimis Abbatibus, Præpositis,
A.C. 1267 Archidiaconis ac Decanis intererant.

Sup. §. 43. Ibi constitutio edebatur decem ac novem
puncta continens decretis Synodi Colo-

c. 3.

niensis priore anno habitæ multum simili-
lia. Sunt autem ista. Clerici, qui pub-
lice concubinas detinent, intra spatium
mensis ab earum consuetudine se disjunc-

c. 6.

gant, alioquin beneficiis privandi suis
Nullus beneficia plura habeat sine legis
gratia sibi facta. Solvantur decimæ

c. 7.

quippe jure divino debitæ. Clerici se-

c. 9.

culares ac Religiosi Antistitum suorum
correctioni se subtrahendi gratia ad ho-
minum profanorum præsidium precesque
armatas non confugiant, alioquin bene-

c. 13.

ficiis suis exuendi. Cum Abbates &
monachi Ordinis S. Benedicti pluribus in
locis a monastica disciplina recesserint,
ita, ut mali exempli vitam ducant: om-

nes illius provinciæ Episcopi cum duo-
bus quisque Abbatibus Ordinis Cister-
ciensis intra dimidium annum omnia ni-

grorum monachorum cœnobia suæ dioce-
cesis obeant, & instaurent, exceptis illis,
quæ Pontifici Maximo proxime subjecta

c. 15. 16. &c. Legatus per se ipsum vel per alios lu-

stranda suscipit. Judæi, ut se distin-
guant a Christianis, pileos cornutos ge-
rant. Parocho pendant decimas, & o-
mnia, quæ darent Christiani, qui eorum
domos incolerent. Plures adhibentur
cau-

cautiones, ne illi Christianos depraverant.

Sæcul. XIII.
A. C. 1267.

Legatus deinde profectus in Poloniam 28. Junii eodem anno 1267. Cracoviam advenit, ubi Rex Boleslaus Castus, & Paulus Episcopus instructo cum agmine ei obviam procedebant. Inde Uratislaviam delatus, ibi anniversario Purificatæ Virginis die 2 Febr. an. 1268. Concilium nationis habuit, in quo comparebant octo Episcopi, Janussa Archiepiscopus Posnaniensis, seu potius Gnesnanus, Paulus Cracoviæ, Thomas Uratislaviæ, Volimirus Uladislaviæ, Nicolaus Posnaniæ, Thomas Ploci, Guilielmus Lusucii, ac Henricus Culmæ Episcopi. Legatus illic populum ad suppetias terræ sacrae ferendas animavit: quo sine præcipuis in templis stipis cogendæ tigilla sunt posita.

to. II. Conc.
p. 858.

ex Michor.

§. LVII.

Errores de Eucharistia.

Ut ad Papam Clementem relatum est, Rayn. 1267.

Doctor Theodoricus Bavarus Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus reliquis doctior videri cupiens palam & sacro e suggestu asseruerat, in Sacramento altaris corpus Christi non vere ac proprie, sed tantum per significationem esse; nec corporeo, sed spiritali modo accipi: denique

#. 39.

Sæcul. XIII.
A.C. 1267.

nique cælum aperiri, descendere Angelos, panem vinumque deferri in cælum, ibique in Christi corpus & sanguinem converti. Sic exponebat illa in divino sacrificio canonis verba: *Fube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum!* Theodoricus hac de causa in plena Synodo Hildeboldo Archiepiscopo Bremensi denunciatus est, a quo respondere ad accusationem iustus renuit, se, si opus foret, ad sui purgationem in curia Romana faciendam paratum esse causatus. Hic substitit Archiepiscopus, tantumque abfuit, ut eum infectaretur, ut dein eundem Ecclesiæ suæ Canonicum facere cogitaret. Historia nos docet, Hildeboldum, sicut reliquos Germanicæ Præsules non tam doctrina quam bello se occupasse temporalia sua conservandi augendique gratia.

Hist. Arch.
Brem. p. 113.

Papa re comperta per litteras ei tantam in causa tam gravi negligentiam exprobrans præcepit, ut hunc Doctorem errores illos retractare publice, ac ejurare, contrariasque veritates docere per censuras Ecclesiasticas cogeret. Si recuset, aut in illos recidat, inquit Papa, comprehensum, ut pro meritis suis tractetur, cum valida custodia ad nos mites, ac celeriter omnia, quæ hac in re feceris, nobis perscribes.

Mau-

Maurinus Canonicus Narbonensis Pa-
 pæ Urbano successerat in regimine me-
 tropolitanæ illius Ecclesiæ, ac inprimis
 charus manserat. En epistolam, quam
 Papa 28. Oct. an. 1267. ad illum dedit!
 Familiariter ac solo præsentium scriptore
 conscio tibi significamus, quid nuper au-
 dierimus; scilicet te in nostra versantem
 curia viro magno de Sacramento altaris
 tecum colloquente dixisse, Christi cor-
 pus ibi non adesse re ipsa, sed solummo-
 do sicut denotatum sub signo; teque ad-
 didisse, hanc opinionem Parisiis esse ce-
 lebrem. Serpsit occulte hic sermo, &
 ad nostras denique aures perveniens nos
 graviter offendit, ægerrime credentes,
 te hæresim tam manifestam locutum es-
 se. Hortatur, ne hunc errorem scholæ
 Parisinæ tribuat, & ad Ecclesiæ fidem
 se conformet. Archiepiscopus Narbo-
 nensis respondit scripto, quo errorem
 execrans, se unquam eum protulisse per-
 negat, & contrariam asserit doctrinam
 sacri codicis Doctorumque catholicorum
 autoritate stabiliens.

Sæcul. XIII.

A.C. 1267.

Gall. Chr.

t. 1. p. 386.

Rayn. n. 35.

Duboulay

tom. 3. p. 33.

§. LVIII.

*Petrus Charnius Archiepiscopus Se-
 nonensis.*

Guilielmo Delabrossio Senonensi Ar-
 chiepiscopo suum ob senium & in-
 firmi-

K k 3

firmi-

Sæcul XIII. firmitatem se munere suo abdicanti per
A. C. 1267. electionem successit Petrus Charnius e-

Gall. Chr. scuris ortum parentibus Archiepiscopi
tom. 1. p. 641. Henrici Cornuti, qui Guilielmum ante-
642. cesserat, fratres præceptorem habuerant.

Lib. Gall.
p. 3701.

Duboulay p.
390.

Henricus illum Ecclesiæ Senonensis Ca-
nonicum & sacro in foro Judicem, Pa-
pa Urbanus IV. suum cubicularium fe-
cit; & Clemens IV. in officio perbene-
gesto confirmatum, ac postea consecra-
tum ut Archiepiscopum Regi S. Ludovi-
co commendavit per epistolam 11. Mar-
tii 1267. datam. Petrus in Senonensem
Ecclesiam suam die Pentecostes 5. Junii
eodem anno receptus est. Ita vacantem
ejus Archidiaconatum Rex pro jure suo
in Girardum Rampillonium Archidiao-
num Melodunensem contulit ea condi-
tione, ut is priorem deponeret; nam
Rex duo beneficia conjungi constanter
nolebat. Sed Papa Clemens morem In-
nocentii III. tempore introductum con-
firmans per constitutionem edixerat, be-
neficia in curia Romana vacantia a solo
Papa conferri posse: & Archidiaconatum
Senonensem per majorem Petri Charnii
dignitatem sic vacasse perhibuit. Veta-
bat igitur, ne Girardus Rampillonius
muneris hujus possessionem adiret, an-
tequam ipsi se sisteret. Conquestus et-
iam Regi Papa, quod ipsi debitam obser-
van-

vantiam hoc in casu non exhibuisset, **Sæcul. XIII.**
 Archiepiscopum Petrum cum remitte- **A. C. 1268.**
 ret, Archidiaconatum cuidam alii post
 auditas tamen Regis rationes tribuere
 jussit. Res non composita fuit Ludovi-
 co aut Clemente vivo: sed per eventum
 Rex causam obtinuit, & Girardus in
 possessione Archidiaconatus Senonensis
 mansit. Quantumvis alienus a suis suo-
 rumque commodis spectandis Papa Cle-
 mens cæteroquin fuerit, hoc in negotio
 sicut in Remensi cernimus, eum tueri
 jura vel minima, quæ dignitati suæ con-
 juncta credebat, mirifice studuisse.

Anno sequente 1268, sexto Junii na-
 turæ cessit Reginaldus Corbolinus Epis-
 copus Parisiensis, postquam decem & o-
 cto annis federat. Ad S. Victorem se-
 pultus successorum habuit Stephanum
 Temperium Aurelianensem, Ecclesiæ Pa-
 risinæ Cancellarium, qui Dominica ante
 festum S. Dionysii septima Octobris eodem
 anno captam sedem illam undecim annis
 tenuit.

§. LIX.

Conradinus a Papa proscribitus.

Post Manfredi cladem quindecim anno- **Mon. Pad.**
 rum Princeps Conradus Imperatoris **p. 623.**
 Friderici nepos sub nomine Conradini
 notior ad Romanum aspirans Imperium **Anon. Sicil.**
 K k 4 stimu- **p. 880.**

Sæcul. XIII. stimulantibus Germaniæ Principibus suis
 A. C. 1268. cognatis vel familiæ suæ amicis interim
 Siciliæ Regis titulum sibi asseruit a factio-
 ne Gibellinorum in Italiam vocatus. Quo
 Rayn. 1268. comperto Papa Clemens in primario Vi-
 n. 4. terbij templo die dedicatæ S. Petri Ba-
 filicæ Romanæ 18. Nov. an. 1266 prohi-
 buit, ne Conradinus porro procederet;
 ac nequis cujuscunque dignitatis eum ag-
 nosceret Regem Siciliæ, aut molitionem
 ejus ullo modo promoveret, vetuit, pec-
 na anathematis in homines, interdicti in
 urbes sancita. Conradinus haud omisit
 suos in Hetruria vicarios, in Sicilia admi-
 nistros constituere, ibique gratias & pri-
 vilegia dispertiri: ut docebant epistolæ,
 quæ in Papæ manus inciderant. Qua-
 propter is die Coenæ Domini 14 Aprilis
 an. 1267 easdem inhibitiones, ac minas
 contra illum & fautores ejus repetiit, eos
 in censuras in priore sententia memora-
 tas incurrisse declarans: Conradinus si-
 mul jubebatur coram Papa intra festum
 SS. Petri & Pauli per se aut per Procura-
 torem idoneum comparere, ut eorum,
 quæ insolenter ausus esset, rationem red-
 dens Ecclesiæ arbitrio se submitteret.
 Eodem anno die Ascensionis Domini 26
 Maji Papa Conradino severe interdixit
 ne Italiam intraret præterquam eo fine,
 ut ad summam Sedem vocatus adesset.
 Attamen hic Princeps cum suo avunculo
 Duce

Duce Bavariae, & cum Comite Tirolis ^{Sæcul XIII.}
 vitrico suo, Veronam, quo accersitus erat, A.C. 1268.
 profectus tres ibi menses manebat.

Tum Papa eum infectari pergens die
 anniversario dedicatæ S. Petri Basilicæ
 declaravit eum in anathema incurrisse,
 ipsumque ac universas ejus partes intra
 mensis spatium Veronam & totam Italiam
 relinquere, nec ullo modo se Imperii aut
 Siciliae rebus immiscere jussit: alioquin
 illum omni ad regnum Hierosolymitanum
 jure privatum, & singulos ei subditos fi-
 delitatis juramento solutos voluit. Cen-
 suræ secundum proportionem in Ducem
 Bavariae cunctosque viros illustres Con-
 radini comites, & in civitates, quæ il-
 lum recipere, extendebantur. Nec ta-
 men magis, quam priores, eum cohibe-
 bant: sed an. 1268 Verona Ticinum cum
 delectis copiis delatus aliquot ibi mensi-
 bus hærebat. Papa itidem suo agendi
 modo insistens, eodem anno die Coenæ
 Domini 5 Aprilis rursus illum a piorum *Mon. Pad.*
 coetu seclusum, prædiis ac provinciis for-
 san ab Ecclesia beneficiaria lege acceptis
 regnoque Hierosolymitano exutum, aliud
 tenendo inhabilem, populos a fide illi ju-
 rata liberos, ac ejus terras divinis inter-
 dictas pronunciavit. Hæc sunt, quæ con-
 tinent litteræ eodem die datæ, postquam
 omnem priorem agendi rationem propo-
 fuerant. *Rayn. n. 14.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1268.

§. LX.

Henricus Castellæ Princeps Romæ agit.

n. 21. Illo ipso die Papa contra Romanos litteras edidit, in quibus eis ingrati erga matrem suam Ecclesiam se beneficiis cumulantem animi exprobrantur, additurque: Postquam Conradinum damnatæ stirpis surculum, & apertum Ecclesiæ hostem, cunctosque fautores ejus proscripsimus: Galvanum Lanceam maledictionis filium cum explicatis Conradini vexillis Romam ingressum cives magna pompa excipere, usque ad Lateranense palatium ducere, ac inter majora etiam humanitatis officia ad suos ludos publicos admittere; tum Nuncios alios Conradini litteris instructos congregato in Capitolium consilio solenniter audire non dubitarunt. Itaque Papa Henricum Castellæ Principem Romæ Senatorem, Guidonem Monfelitranum ejus vicarium, administratos reliquos, & omnes illos, qui Galvanum cæterosque Conradini Nuncios sponte receperant, ab Ecclesia sejunctos declarat. Has litteras, sicut priores, dabat Viterbii memorato die.

Mariana l.
II. c. II.
Duchesne
p. 387.

Henricus Castellæ Princeps erat S. Ferdinandi Filius, Regis Alphonsi Astrologi frater. Cum ab hoc diffideret,
ex

ex Hispania ad Regem Tunetanum profectus quatuor annos apud eum traduxit.

Sæcul XIII.

A.C.1268.

Ibi multum religionis suæ perdidit, multum de moribus Musulmannorum induit

Anon. Sicul.

p. 881.

scelestissimus homo factus. Ut Carolum Siciliæ Regem arcta sanguinis communi-
one contingebat, eum post Manfredi cladem hujus regni solium conscendisse audiens an. 1266, eundem adiit cum multis præclaris Hispaniæ Equitibus. Suaviter a Carolo acceptus, ut in ejus locum Romæ Senator eligeretur, callide curavit. Tum quibusdam in Carolum rebellibus ducem se præbens, partes Conradini suscepit. Igitur Romæ dominans thesauros in templis abditos diripuit. Vetus enim non Romanis modo, sed & exteris mos erat, ut metu prædonum & incursum hostium in cœnobiis ac templis pecunias & magni res pretii deponerent, quippe nusquam melius quam in locis sacris servandas. Henricus nulla religione tactus effringi portas, profanari sacra, recludi cistas jubet. Hinc numerata pecunia, illinc vasa aurea & argentea, aliunde ornamenta, denique pretiosa omnia asportantur. Sic basilica Lateranensis, sic templa S. Pauli, S. Sabbæ, S. Basilii in monte Aventino, S. Sabinæ aliæque expilantur: luctuosus Cleri clamoribus urbs tota personat.

p. 882.

p. 884.

Sæcul. XIII.
A.C. 1268.

§. LXI.

Concilium Londinense.

M. Westm.
p. 386.

To. XI. conc.
p. 866.

Sup. lib. 81.
§. 7.

60. II. p. 525.

c. 2.

c. 4.

c. 5.

Interim Legatus Ottobonus Londini ad S. Paulum 23 Aprilis an. 1268 e cunctis Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Præsulibus collectum habuit concilium, in quo decretum edixit quinquaginta quatuor puncta continens idonea tollendis belli civilis effectibus, rebus in ordinem redigendis, ac reducendæ executioni canonum, qui fere non observantur amplius, multo minus sanctiones per Ottonem Cardinalem Diaconum tit. S. Nicolai Pontificium apud Anglos Legatum in concilio Londinensi an. 1237 factæ. Nam Ottobonus pæne solum repetit hujus concilii constitutiones, & ad ditamenta jungit ad efficiendam earum executionem pertinentia, ac quædam alia. En illa, quæ memorabiliora mihi visa sunt.

Confitendi libertas nemini denegetur, ut carcerum custodes interdum captivis facere audimus. Qui porro id egerit, ecclesiastica sepultura privabitur. Clerici etiam sub obtentu justitiæ non portent arma; nedum eo fine, ut se fociant cum prædonibus, ipsaque templa diripiant, quod audebant aliqui. Illorum togæ non sint ita curtæ, ut eos reddant ridiculos,

los, sed media saltem crura contingant. Religiosi facti Episcopi suam vestem regularem gerant. Clericorum concubinæ ab ingressu templorum & communione Paschali arceantur. Templis, cœmeteriis, cœnobiis, locisque sacris sua conservetur immunitas: & quisquis eo profugum inde per vim abstraxerit, vel rem ibi depositam abstulerit, in anathema ipso facto incurret, ac ejus terræ locaque, quo perfugerit, erunt divinis interdicta. Idem dictum sit de illis, qui e domibus ad Clericos spectantibus invitis Dominis quidquam asportaverint. Matrimonii celebrationem in facie Ecclesiæ nemo impediatur.

Præsules fructus Ecclesiarum vacantium non sibi vendicent sive ad annum sive ad aliud tempus, nisi privilegio vel consuetudine nitantur. Hic videmus inceptum jus annui fructus caduci ex vacante beneficio ecclesiastico: & in Oxoniensi concilio anni 1222 jam vidimus, quosdam Episcopos beneficiorum collationem distulisse, ut eorum proventus perciperent. Beneficiarii omnes ædificia sedulo reparent, nisi Episcopus id curet fieri sumptibus illius, qui beneficii possessionem ac titulum habet. Nequis plura beneficia animarum cura prædita simul possideat, vetatur iterum, semper tamen cum hac exceptione: Sine solutione a legibus

Sæcul. XIII.

A.C. 1268.

c. 8.

c. 13.

c. 14.

c. 16.

*Thomass.
disc. par. 4.
lib. 4. c. 32.
Sup. lib. 78.*

f. 56.

Conc. Ox.

c. 4.

c. 18.

Conc. Lond.

c. 30. 32.

33.

Sæcul. XIII.

A.C. 1268.

c. 31.

c. 36.

c. 38. 39. & c.

M. Westm.

p. 400.

Mat. Par.

p. 857.

gibus per apostolicam Sedem facta. Hæc autem exceptio enervabat legem ob facilitatem impetrandi gratiam legis. Prohibetur etiam, nequis beneficia plura teneat perhibendo, se nomine proprio alterum, alterum jure fiduciario possidere: id quod est, ait Concilium, non legis sensui sed verbis adhærere, & applicare cupiditati, quod pro necessitate vel emolumento Ecclesiarum est introductum. Tum Legatus per totam legationis suæ amplitudinem quotannis postridie octavam Pentecostes solennem supplicationem publicam fieri jubet, ut a Deo conservatio pacis, terræque sanctæ recuperatio impetretur. Reliqua decreti puncta ad instaurandam monachorum & regularium disciplinam attinent, ultimumque præcipit, ut quot mensibus saltem semel sacram confessionem faciant.

Post id concilium Cardinalis Ottobonus Northantoniam profectus, ibi duobus Regis Henrici filiis Eduardo ac Edmundo, Comiti Glocestriensi & compluribus aliis nobilibus Anglis sacre in Palæstinam peregrinationis crucem tradidit. Principem Eduardum ad militiam sacram sanctus Rex Ludovicus induxerat, qui in Franciam vocatum, ut itineris transmarini comitem se ipsi jungeret, orarat, pro sumptibus ei tricies mille argenti selibras præbens mutuas. Cardinalis Ottobonus
ex

ex Anglia magnas secum opes auferens in Hispaniam transit, ubi Regem Castellæ ad suppetias terræ sacræ mittendas stimulare per Papæ litteras 22 Junii datas jubebatur. Rex Arragoniæ, ut vidimus, ac Rex Lusitaniæ crucem jam induerant, qui a Papa pro impensis itineris regni sui decimas postulandi copiam obtinuit, etsi graves de illo querimoniæ jactarentur, ut liquet ex epistola, quam ei Papa hac de re postremo Julii scripsit.

Sæcul. XII.
A. C. 1268.

Rayn. n. 51.

Id. n. 38.

§. LXII.

Res Imperii.

Sed Regem Castellæ jus ad Imperium magis tangebatur, quam expeditio sacra. Papa Urbanus e vita recesserat ante tempus conficiendo huic negotio a se præstitutum, nempe diem S. Andreæ an. 1265. Papa Clemens distulerat usque in diem Veneris post Epiphaniam, octavum Januarii anni 1266. Hoc die Richardi Angliæ Principis Procuratores, quos ducebat Henricus ejus filius natus major, se Papæ sistebant, ad stabiliendum Richardi jus plura causæ instrumenta producentes: ex parte Regis Alphonsi Rudolphus Poggio-Bonitianus comparuit sed sine instrumentis, jus Domini sui satis esse demonstratum perhibens. Attamen

Sup. §. 20.

Rayn.

1266. n. 36.

Id. 1267.

n. 23.

men

Sæcul. XIII. men in Germania, Gallia, Hispania, & Italia rem testimoniis probandi facultatem petiit. **A.C. 1268.** Annuens Papa producendis testibus urbes Francofurtum, Parisios, Burgos, Bononiam, & curiam Romanam, inquisitioni vigiliam festi Sanctorum Omnium, iudicio SS. Virginis ab Angelo salutatae festo successurum diem, vigesimum sextum Martii anni 1268 tanquam peremptorium, ut vocant, destinavit, monuitque Regem Alphonsum, ne sibi Romæ coronam imperatoriam imponi cuperet, antequam in Romanorum Regem Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi coronatus esset.

Rayn. 1268. Cum præfinitus dies nempe vigesimus sextus Martii effluxisset, Guilielmus Archidiaconus Roffensis Richardi Angli Procurator ad Papam & Cardinales venit, postulans, ut causa de duplici electione ad Imperium absque dilatione alia definite decideretur. Verum Regis Alphonfi Procuratores exponebant, Episcopum Silvensem, qui hoc negotium antea suscepisset, a Gibellinis in Hetruria necatum, causæ instrumenta, quæ portasset, cum eo perdita esse, ac Rudolphum Poggio-Bonitianum graviter ægrotantem obsessio castro inclusum mansisse. Hæc considerans Papa Regi Alphonso iterum dilationem dedit usque ad Calendas Junias anni

anni proximi. Hanc in sententiam Papa Regi Alphonso 18 Maji scripsit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1268.

Sed Electores his dilationibus fatigati, & incommodis, quæ diuturna vacatio Imperio accersebat, commoti Richardum, Alphonsum Papamque ipsum illudere sibi querebantur, ac tertium eligere statuerunt. Dicta est dies, ac singuli Electores ad ineunda rursus suffragia convocati sunt. Rex Bohemiæ, qui jam tum ex illorum numero erat, Papam id edocuit, quid sibi hac in re agendum esset, interrogans. Papa ei respondit fusam per epistolam, in qua omnia sub duobus antecessoribus suis Alexandro & Urbano, suoque sub pontificatu hoc in negotio facta commemorat: dein addit: Quid igitur culpæ in Ecclesia residet? Forsitan, quod Germaniæ Principes in diversa abierint suffragia? An, quod duo electi jure, quod se obtinuisse credunt, cedere renuant? Vel, quod Ecclesia pro moderatione sua illorum jura per iniquam vel præcipitatum sententiam violare noluerit? Aut, quod non occurrerit casibus fortuitis, quos avertere nulla prudentia potest? Hæc si expenderent Electores, erubescerent electionem tertiam cogitare interea, dum judicium de duabus prioribus, quas ipsi fecerunt, suspenditur. Finis prohibendo, ne denuo in suffragia eant,

Hist. Eccles. Tom. XXI.

L1 quæ

n. 43.

n. 46.

Sæcul. XIII. quæ in antecessum declarat irrita. Da
 A.C. 1268. bat 7 Novembris an. 1268.

§. LXIII.

Conradini mors.

Mon. Patav. Interea Conradinum prosperos inter suc-
p. 623. cessus rerum per Lombardiam ac He-
Stero annal. truriam Romam usque progressum Sena-
 1268. tor Henricus Castellæ Princeps ac popu-
Ptol. Luc. lus quasi Imperatorem summo gaudio ex-
Duchesne ceperat. Inde in Apuliam profecto Rex
p. 893. Carolus sese opposuit, ac exercitus prope
Ric. Malesp. Taleacotium adversis concurrentes signis
 s. 82. 83. cruentum commisere prælium, quo Con-
Rayn n. 32. radinus ingentem accepit cladem die Jo-
Duchesne vis 23 Augusti an. 1268. Hoc ipso die
p. 893. Rex Carolus victoriæ suæ nuncium ad
Id. p. 382. Papam misit, quid Conradino ac Henrico
 Senatore factum esset, nondum gnarus.
 Fugerant autem ambo: sed cum pluribus
 aliis captos Carolus Neapolim & in car-
 cerem duci voluit. In pugnae loco tan-
 quam grati pro secundo rei exitu animi
 monumentum condidit monasterium Or-
 dinis Cisterciensis sub nomine S. Mariæ
 de Victoria, post annos quadraginta ter-
 ræ motu eversum.

Viri legum peritissimi de captivis sen-
 tentias Neapoli dicere jussi eos ad mor-
 tem condemnarunt tanquam læsæ Majes-
 tatis reos ac Ecclesiæ inimicos. Caro-
 lus

lus Henrico Castellæ Principi vitæ gratiam fecit tam cognationis causa, quam quod Montis Cassini Abbas, qui eum comprehenderat, non nisi hac conditione tradidisset, ne ad sacra munia inhabilis fieret, timens. Conradinus ejusque cognatus Dux Austriæ & quidam alii extremo supplicio sunt affecti: prius tamen in sacello quodam eis sacro funebri pro animabus suis facto interesse licuit, spatiumque noxas confitendi datum. Posthæc in forum Neapolitanum ducti securi omnes percussi sunt 26 Octobris. Conradini cædes a plurimis improbata Regem Carolum reddidit odiosum, quem propterea Papa & Cardinales acriter objurgarunt: & in hoc Principe adolescentulo domus Suevica extincta est.

Sæcul XIII.
A.C. 1268.

18. Oct. 1268

1268

Malasp.

§. LXIV.

Clemens IV. obit.

Papa Clemens IV Viterbii semper agebat, ubi pridie festum S. Andreae 29 Nov. an. 1268 naturæ satisfecit, postquam tres annos, novem menses, ac viginti quatuor dies federat. Erat magnæ vir prudentiæ, excellens jurisconsultus, ac egregius verbi divini præco: Viterbii sæpe, cum esset summus Pontifex, conciones habebat populum in catholica fide confirmandi gratia: cantabat etiam

Rayn. n. 54.
Papebr. co-
nat. p. 53.

Sæcul. XIII. bellissime. Longum per tempus abstine-
A.C. 1268. bat a carnibus; in lecto cubabat durissi-

Sup. lib. 81. agebat integerrimam. Terræ mandatus
S. 49. est Viterbii in templo Prædicatorum, ubi
 sepulchrum ejus etiamnum cernitur, ima-
 gine S. Hedwigis Polonicæ, quam inter
 coelites annumeraverat, ornatum. Post
 ejus obitum apostolica sedes duobus an-
 nis, decem mensibus, ac viginti septem
 diebus vacavit.

Rayn. 1267.
n. 83.

Ejus tempore Sodales de Vexillo Ro-
 mæ in honorem SS. Virginis confociati
 suam adstrinxere fidem, ut quotannis ter
 sacra confessionis communionisque my-
 steria obirent: & Papa Clemens hoc pie-
 tatis genus per diploma ratum habuit,
 centum dierum indulgentiam, quoties Sa-
 cramenta fusciperent, illis concedens: id
 quod indicat, ea tunc parum frequentata
 fuisse. Hæc sodalitas omnium prima &
 reliquarum norma fuisse dicitur; traxit
 que suum nomen a vexillo, quod in
 supplicationibus publicis
 portabat.

